IOANNIS BER-

NARDI DIAZ DE LVCO, DE-

cretorum Doctoris, Hiſpani, Epiſcopi Calagurritani, ac inuictiſsimi Romanorum Imperatoris, ac Hiſpaniarum regis Caroli Quinti à conſiliis, Practica criminalis canonica, in qua omnia ferè flagitia, quæ à clericis committi poſſunt, cum eorum pœnis deſcribuntur.

Quæ his notis { } plurima interclusimus, huic quartæ & postremæ editioni ab Autore adiecta sunt.



Lugduni, Apud Gulielmum Rouillium.

M. D. LIIII.

Cum priuilegio Regis.

IOANNIS BER-

NARDI DIAZ DE LVCO, DE-

cretorum Doctoris, Hiſpani, Epiſcopi Calagurritani, ac inuictiſsimi Romanorum Imperatoris, ac Hiſpaniarum regis Caroli Quinti à conſiliis, Practica criminalis canonica, in qua omnia ferè flagitia, quæ à clericis committi poſſunt, cum eorum pœnis deſcribuntur.

Quæ his notis { } plurima intercluſimus, huic quartæ & poſtremæ editioni ab Autore adiecta ſunt.



Lugduni, Apud Gulielmum Rouillium.

M. D. LIIII.

Cum priuilegio Regis.

Kan
23
901

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, eſt permis & octroyé à Guillaume Rouille, Libraire de Lyõ, d'imprimer, ou faire Imprimer, tant de foys, & en tel nombre que bon luy ſemblera, ce preſent liure, intitulé *Ioannis Bernardi Diaz de Luco, Epiſcopi Calagurritani, Practica criminalis Canonica*, nouuellemẽt reueüe, corrigee, & augmentee par ledict autheur: & ſont faictes inhibitions & defences depar ledict Seigneur, à tous autres Libraires & Imprimeurs, & perſones quelconques de n'imprimer, ne faire imprimer, vẽdre ny diſtribuer, en ſes païs, terres, & ſeigneuries, autres que ceux qu'aura imprimé, ou fait imprimer ledict Rouille: & ce durant le temps & terme de dix ans, à commencer du iour & datte que ſeront paracheués d'imprimer leſdictz liures: ſur peine de confiſcation des liures qu'ilz imprimeroyent, & d'amende arbitraire, applicable audict Seigneur. Et outre ce, ledict Seigneur, tant pour ceſte œuure que pour autres contenues & mentionnees en ſeſdictes lettres, en mettant au commencement, ou à la fin, en brief & au vray (ſur peine d'encourir crime de faux) le contenu en ſeſdictes lettres de priuilege, veut & luy plaiſt qu'elles ſoyent tenues pour ſuffiſamment ſignifiees à tous Libraires, Imprimeurs, & autres: & ſoit cela de tel effect & vertu, que ſi leſdictes lettres leur auoyent eſté expreſſement monſtrees & ſignifiees: ſauf que, s'ils veulent pretendre qu'elles contiennent moins que ce que ledict Rouille aura mis en ſondict brief, ilz ſeront remis à en demander exhibition par deuant le Senechal de Lyon, ou ſon Lieutenant: lequel, quant à ce, a eſté commis par ceſdictes preſentes: le vidimus deſquelles ledict Rouille ſera tenu de deliurer à tous Libraires & Imprimeurs, & autres qui l'en requerrõt, à leurs deſpens: & y ſera foy adiouſtee comme à l'original: nonobſtant oppoſitions & appellations quelconques, mandemens, ordonnances, reſtrictions, defences, eſtabliſſemens de Courtz & iuriſdictions, & lettres à ce contraires, leſdictes inhibitions & defences tenans: comme plus à plein eſt contenu & declairé par leſdictes lettres de priuilege, ſur ce dõnees à Paris le xv. d'Auril, M. D. LIIII. Par le Roy en ſon cõſeil.

Signé, Mahieu.

REVERENDO IN CHRI-

sto patri ac domino, D. Ioanni Bernardo Diaz à Luco, Calagurritanæ ecclesiæ Præsuli dignissimo, Gulielmus Rouillius felicitatem precatur.

HABET hoc eximium, Præsul amplissime, illustriũ hominum uirtus, ut uel ignotissimum quenq; in sui admirationẽ rapiat, corumq; animos coniungat, quorum corpora longissimo locorum dirimũtur interuallo. Idq; si aliâs unquàm, proximis certè hisce annis, quibus ex diuinis ingenij tui monumentis, quæ superato Pyrenæo, amplissimi tui nominis splendore bonam Europæ partem adimplerunt, singulares animi tui dotes degustare cœpimus, admirabilémq; uirtutũ tuarum concentum uel per nos ipsi perspicere, uel ex alijs qui istic negotiantur, studiosè cognoscere, quouis Sibyllæ folio uerius esse comperi. Tanta enim eo ex tempore Amplitudinis tuæ admiratio, & quædam quasi ueneratio, animo meo incessit, ut omnes mihi deinde occasiones aucupandas duxerim, quò quacunque tibi ratione innotescerem, nostríque erga te animi propensionem qualiquali officio declararem. Qua in re dum anxiè me, sed frustra, discrucio, nulla se offerente occasione, quæ tanto Amplitudinis tuæ splendore non multò inferior uideretur: percõmodè & propè diuinitus mihi cecidit, ut istinc ad nos reuersus uir ornatissimus Gaspar

Trechsel, & clarissimi tui nominis studiosissimus, & mihi arcto affinitatis uinculo coniunctus, tuo mihi nomine reddiderit duo eximia felicissimi tui ingenij opera, Practicam nimirum, criminalem, & Regulas iuris, ambo ut multò accuratiore lima abs te recognita, ita auctario minimè pœnitendo locupletata: nihil me tibi in præsentia gratius facere possе affirmans, quàm si ea quàmprimum, & quàm accuratissimè typis meis excudenda curarem. Quam tam obuiam ineundæ abs te gratiæ occasionem eò mihi auidius arripiendam putaui, quòd opera ea sanè insignia esse constaret, planéq; digna, quæ diligentius, typísq; elegantioribus excusa, omnium manibus tererentur: quippe in quibus præter absolutissimam quandam disciplinarum omnium cognitionem, non obscura etiam ueræ pietatis studia elucerent. Vt interim cæteras uerè heroicas animi tui dotes prætermittam, quibus Carolus Imperator, perspicacissimi princeps ingenij, tantum deferendum putauit, ut te intimis suis consilijs adhibitum, earum curarum, quibus latissima ista regna reguntur, participem esse uoluerit, & Calagurritani Præsulatus fastigio insignitum, ad Tridentinum Concilium de maximis Reipublic. Christianæ commodis tractaturum amplissima cum potestate legandum putarit: id nimirum ratus, quod res est, paucos se prudentia pares, superiorem habere neminem, cui tantam rerum molem concrederet. Sed dabitur aliâs, Præsul amplissime, uberior laudes tuas prædicandi occasio: quas si uel maximè hîc prosequi uelimus, tam angusto tamen epistolæ spatio excluderemur. Reliquum est, ut hoc clientis tui officium boni consulas, omniáq; à nobis, quæ uel industria consequi, uel labore perficere potcrimus, & postules & expectes. Vale.

PROOEM

PROOEMIUM.

SICVTI dignum & sacræ scripturæ consonum fuit, legibus humanis eximere eos, qui in sortem domini vocari meruerunt (quos clericos appellamus) nec pati earũ seueritate puniri, si quando eos labi fecerit humana fragilitas (quæ cuiusuis ordinis suscepti, seu professionis amplexatæ regulis, nusquã sic potest subiugari, quin aliquãdo resiliat) sic etiã necessarium fuit (ne clerici tali immunitate insolentes effecti effrenatè viuerent) sanctionibus sacris noxios eorum affectus compescere, & in earũ transgressores animaduertere. Quamobrem in aurea ac florentissima illa militantis ecclesiæ ætate, per religiosissimos suos gubernatores, aduersus omnia ferè (quæ à clericis possunt perpetrari facinora) descriptæ extant vltiones ac pœnæ. Tãtus insuper fuit in illis antiquis ac sanctis patribus clericalis honestatis zelus, vt aliquando leuia etiam & parum pernicioſa crimina sub grauibus pœnis prohibuerint. Sic tandem clericorum excessibus pœnas cõdignas statuerunt, vt nisi executorum tepiditas ac segnicies illas parum metuendas reddiderit, non minus illæ clericos omnes à perpetratione criminum cohibere possent, quàm sibi subditorum vitia reprimunt Cæsareæ leges, quæ membrorum truncationes, ac vitæ periculum comminantur. Itaque sæpe mecum sanctorum illorum patrum zelum consider-

raui, huius autem tempestatis incuriam contempla-
tus sum, qua pristina illa ac pia instituta non modò
ob non vium abrogata, sed per contrarium vsum
contempta, ac irrisa cuiuis licet intueri. Præterea
quæ in clericali statu hinc successerint incommoda,
ac quantus censurarũ adsit contemptus, qualis mo-
rum peruersio subsit, pẽsitaui quàm pluries. Et sum-
mo quodam ardens desiderio, vt sacrarum illarum
sanctionum gladius (Iudicum inertia, ac tepidita-
te, ne dicam vitiosa, muneribúsq; redempta dissimu
latione, magna infectus rubigine) purgatus splen-
deat, ac sese offerendo clericorum oculis ac menti-
bus, timorem ingerat delinquendi, libellum hunc
componere statui: quò iudices ecclesiastici facilius
instruantur, ac expergefacti à somno vitiorum gra-
uitatem, clarioribus mentis oculis intelligant, in-
tellecta celerius ac debitis pœnis coërceant, vtque
clerici omnes in eo, in quibus delinquere possint,
agnoscant, ac errantes, quales deceat eos pertime-
scere pœnas perpendant. Vidi nanque sæpius in cle-
ricis minima puniri acriter, leuia cautius quandoq;
vitari, magna verò, aut dissimulari, aut leuiter cor-
rigi, vnde accidit in grauia eos facilè labi, & sine
metu pœnæ torpere, ex quo ecclesiastici ordinis fa-
cies non parum deformata conspicitur. Quod Ber-
nardus reprehendit dicens, Prælati nostri culicem
ligant, & camelum deglutiunt, dum maiora præter-
mittentes minora discutiunt. In hoc igitur paruo
libello quisq; præsulum, aut eius vicem gerens bre-
ui tempore leget quæ possunt clerici committere
crimina, quantíq; illa faciant canonica iura. Quas
insuper ex antiquis sanctionibus ætate illa æditis
(qua

(qua & fortiora corpora, & maiora merita noſcebantur) fragilius ſeculum ſuccedens temperauerit. Quídve doctores pœnalia iura canonica exponentes tradiderint. Quò fiet, vt qui zelo corrigendi æſtuant iudices, quò facilius deſiderium expleant, adinueniant, diſcant etiam qualiter decet eos zelum ſuum ſacris canonibus adæquare, ne cum cum periculo animæ ſuæ, ac ſubditorum diſpendio in crudelitatem ac aſperitatem quandam conuertant, inſtárq; imperiti ac crudelis chirurgi vulneribus minimis, & quibus leuibus valet mederi pharmacis, carnis aduſtione, aut reſecatione medeantur. Sunt enim plerique iudices, qui ſuæ prauæ temperaturæ impetus, & quaſi inſitam rabiem, iuſtitiæ zelum reputãtes, ſemota omni humanitate quæ (nec ipſis defuit pecudibus) in captos quoſq; deſæuiunt, illíſq; defenſionis copia ſubtracta, ac iuris ordine peruerſo, aſperius inſtigant ſupplicium, quàm pro ratione culpæ, legali cẽſura decernat. Ac inſuper ſic dolent reum aliquem innoxium reperiré ac declarare, velut ſi accuſati liberatione, ipſi rei efficerentur. Eſt & alia iudicum ſpecies, non parum pernicioſa Reipublicæ, qui inquirendi pigritiam, corrigendíque ſecordiam, miſericordiæ cuipiam adſcribere nituntur, quíque dum impiis miſerentur, ſceleratiſsimis hominibus vrbes ac loca replent. Hi forſan, perlecto libello hoc, ineptam illam ac crudelem clementiam deponent, conſiderantéſq; quanti fecerint clericorum facinora patres antiqui, quantúmve ad Chriſtianam religionem propagandam cenſuerint illi conducere vitam honeſtam clericorum, non ſic ſegniter illa punient, nec facilè quibuſuis oblatis ſi-

bi precibus aut munuſculis, diſsimulabunt. Pollentes præterea iudices doctrina, zelo, ac prudentia in officiis requiſitis (ne aliorum exceſſuum neglecta correctio, ſibi interitum parturiat, vt accidit Heli ſummo ſacerdoti) hoc opuſculo prouocati, ad reformandos clericorum mores, accingentur. Quo fiet, vt illis reformatis, laicorum etiam vitam (qui exemplo quopiã pernicioſo à clericis habito, plura ſibi alia quantumuis grauia licere contendunt) purgari, ac perfici meritò ſperãdum erit: aut ſi hoc ſaltem bonum defuerit: non enim videri continget aliquando, in magnam Chriſtianorum perniciem, clericos ſceleratiores eſſe laicis: cùm & diuus ille Hieronymus dixerit, Quòd vehementer deſtruit Eccleſiam Dei, laicos melio-res eſſe quàm clericos.

AVTOR OPERIS LECTORI S. P. D.

NOn me præterit, candidiſſime Lector, tibi ad calcem noſtri operis peruenienti contigiſſe id quod alicuius oppidi pulchros & excelſos muros proſpicienti, euenire ſolet, vbi demum perluſtrato eo, humiles domos, & anguſtos calles intuetur. Nam cùm in noſtri huius opuſculi veſtibulo tam amplam denunciationem criminum, ac pœnarum varietate referentam legeris, longam tibi examinationem ſingulorum promittentem, videríſque in ſingulis capitibus plura quæ dici poterant & debebant, prætermiſſa: alia diſcuſſa ſecus quàm decebat, aut res ipſa patiebatur, meritò te ſpe

concepta frustratum dicere poteris, Autorémque incusabis, quòd non paria ædificio fundamenta iecerit, aut iactis condigna ædificia construxerit. Sed noli quæso contemnere oblatum munusculum, & autoris animum, si non lectorum votis ac peritiæ materiæque fœcunditati satisfecerit. Optaui, mihi credе, hoc præstare, si non obstitisset sacerdotij munus, Consilij regij onus, ac inquietudo curiæ, vbi nec animi quies datur, nec librorum copiam (ad hoc maximè necessariam) licet assportare: præcipuè quòd post triginta-duos annos & amplius in solo Pontificio ac Cæsareo iure consumptos, non illæ adsunt corporis vires, quas negocia exigunt, & veritatis studiosus inuestigator exoptat. Statueram equidem huius intellectualis filij emancipationem differre, ne cum eiusdem periculo, ac patris dedecore, sui iuris effectus, tantum orbem peragraret. Sed institerunt amicorum preces, qui propriæ & communis vtilitatis affectu ætatis veniam postularunt,

quam

quam tandem à me obtinuerunt, tum vt illis rem quam opinabantur æquam, non negarem (Cui enim aliquoties non contingit propriis commodis & honori amicorum petita præferre?) tum etiam (vt verum fatear) quòd cùm mors omnibus quotidie minetur, méque posset (vt alios plures amicos & socios, etiam ætate minores & valetudine prosperiore) intercipere, timui ne illa superueniente, & eo quod scriptum est, & quod ipse in hoc opere desideras, frustrareris. Suscipe ergo, & lege benignè libellum, hunc Lector amice, malisque eum adhuc infantulum in obsequio recipere, quàm parentis morte succedente, eum tanquam abortiuum (cum alijs pluribus ingenij fœtibus, quibus secula nostra carent ob autorum immaturam mortem) sepulturæ tradere. Sat enim tibi sit, quod si vacat, & iuris peritia suppetit, poteris illum tot additionibus ornare, vt lectorum omnium desideria expleas, non mini-

mam

mam inde laudem comparaturus. Intelligésque, cùm tu id fueris aggressus, quàm non sit leue ex varijs libris ac autoribus veras excerpere conclusiones, omniúmque oculis perpetuò iudicandas exponere, nulla alia ob id mercede recepta, nisi vt aliqua pars temporis (de quo ratio reddenda est) proficiendæ reipublicæ insumeretur.

Vale.

Denunciatio.

CAPVT I.

ORAM vobis Domino N. Officiali ac Vicario generali, ego N. Presbyter promotor seu fiscalis curiæ vestræ, denuncio quòd Coluberius & Serpelion diœcesis huius originarij, in ea domicilium habentes, & beneficia, grauia & plura perpetrarunt facinora. Cùm enim laici essent, sine ordinibus ministrare, ac celebrare sunt ausi. Tandem verò excommunicati, illegitimi, rebaptizati, bigami, serui sine dominorum suorum licentia, & illiterati, & post peractam pœnitentiam solennem, per saltum, furtiuè, extra tempora, & ante ætatem debitam, & ab alieno episcopo, ac simoniaco, excommunicatóque, hæretico, & à collatione ordinum suspenso, & qui episcopatui renunciauerat, ad sacros ordines sunt promoti, ac suspensionis, excommunicationis, ac interdicti censura nodati, non ieiuni, ac in die sæpius, & sine aqua & igne, vel in pane fermentato, & calice ligneo, & super altari non consecrato, ac in priuatis locis sine licentia episcopi celebrarunt, missamque pro requie defunctorum

pro

promulgatam pro viuis celebrarunt hominibus, vt illi mortis incurrerent periculum, Eucharistiam ob ebrietatem ac voracitatem euomuerunt, ac ob negligentiam ipsorum aliquid sanguinis stillauit in terra & in altari, aliquoties insuper celebrando corpus & sanguinem domini non percipiebant, super rebus aptis ad faciendum sortilegia & ad illum effectum tantum vnam, vel plures missas scienter celebrarunt, adhibitis nephariis precibus, & verbis superstitiosis, in custodia Eucharistiæ desides. Cõmendatúmque sibi infirmum baptizare noluerunt, beneficia plura possident, quorum aliqua patres eorum nullo mediante possederunt, & in pluribus eorum intrusi sunt, viuis eorum possessoribus, & occasione laicæ recognitionis, non requisita episcopi audientia, beneficia ecclesiastica sibi præsumpserunt vendicare, & in nullo beneficiorum resident, quúmque parochiales ecclesias habeant, intra annum non fuerunt promoti. Officium insuper diuinum, prout tenentur, non recitarunt, negociatores, ac alienæ rei conductores, proxenetæ illicitorum contractuum, Laicorum ministri, ac in rebus eorum procuratores existentes, tabellionatus officium exercentes, ac Leges & Physicam audientes, villarum procurationes suscipientes, ac principum & secularium virorum iustitiarij, contra ecclesias à quibus beneficia obtinent, aduocati vel procuratores extiterunt. Instituti hæredes rogati de restituendo hæreditatem incapaci, taciram fidem dederunt. Calumniatores, maledici, venatores, ioculatores, goliardi, seu buffones. Carnificum seu macellariorum,

aut

aut tabernariorum officium publicè & perſonaliter exercentes. Aleatores, ac bona eccleſiæ dilapidantes, publicis ſpectaculis, ac clandeſtinis nuptiis intereſſentes, nuptias ſecundas benedicentes, virgatis ac partitis, & aliis prohibitis veſtibus publicè vtentes, ac comam nutrientes ſiue relaxantes, ebrij, fornicarij, concubinarij, ac matrimonium de facto contrahentes, Monialibus & ſpiritualibus filiabus ſe commiſcentes, ſtupri, incæſtus, adulterij, ac criminis nephandi rei, ſacrilegi, vſurarij, à manifeſtis vſurariis oblationes recipientes, eóſque eccleſiaſticæ ſepulturæ tradentes, fures, ſimoniaci, periuri, ac falſi teſtimonij rei, homicidæ, venefici, parricidæ, & per aſſaſsinos alios interfici mandantes, truncationéſque membrorum per ſe facientes ſeu iudicantes, duellum aliis ſponte offerentes, ſeu oblatum ſuſcipientes, naues ad pugnam gubernantes, & conflictum perſonaliter exercentes, alióſque ad pugnam incitantes, violentiæque illatores, literas ad alios directas aperientes, & aduerſariis oſtendentes. Eccleſiaſticos viros vt ſua reſignent beneficia, ac ne citati ad curiam accedant, capientes. Incendiarij, ac raptorum & eccleſiarum violatorum non ſatisfacientium ſepulturis intereſſentes, eorúmque eleemoſynas recipientes, ac de eorum rapina participantes. Sortilegi, conſulentéſque aruſpices, incantatores, ariolos, augures, ſortilegos, ac eos qui artem magicam profitentur, & peccatores qui ſibi confeſsi fuerunt ſigno aut verbo prodentes, blaſphemi, apoſtatæ, ſchiſmatici, hæretici, ac hæreticis receptatoribus, defenſoribus, & fa

& fautoribus eorum ecclesiastica adhibentes sacramenta, ac eos christianæ sepulturæ tradentes, & eorum eleemosynas ac oblationes recipientes. Falsarij, conspiratores, ac læsæ maiestatis rei, séque de suis criminibus gloriantes. Quare peto præmissorum habita informatione summaria, eos citari personaliter, aut capi, ab ecclesiis ad quas confugerunt extrahi, incarcerari, tortura, siue iuramento præmissis interrogari, confessionibus propriis, aut testibus conuictos ab ingressu ecclesiæ interdici, suspendi, beneficiis priuari, ac bonorum publicatione puniri, verberari, in exilium mitti, deponi, ac in arctum monasterium detrudi, in perpetuum carcerem damnari, ac exigentibus culpis, aut data incorrigibilitate degradari, ac seculari curiæ tradi, pœnisve aliis pecuniariis, vel corporalibus, canonicis, vel synodalibus, consuetudinariis, siue arbitrariis puniri, aliquo lapsu temporis non obstante. Deficiente verò legitima probatione ob vulgatam infamiam, graue scandalum, vehementem suspitionem ex testium dictis obortam illis purgationem indici, in qua si defecerint, vti conuictos puniri. Si verò capi non potuerint, absentes eos pœnis damnari condignis. Pro quibus omnibus ac in necessariis eorum, vestrum imploro officium, ac expensas protestor & peto.

Coram

Coram vobis domino N.

CAPVT II.

QVOTIES enim ad expurgandam ecclesiasticam Rempubl. facinorosis clericis alicuius eorum flagitium nunciandum est, decet vt id in præsentia iudicis fiat. Sic enim & iudex ipse perpendere poterit, quæ sit personæ qualitas contra quam denunciatio fit, quæ insuper delicti species ac grauitas, vt iuxta illã quæ futura sunt ordinet ac præcipiat, intelligátque quo animi motu, quáve certitudine delicti, fiscalis suus, aut quiuis alius denunciaturus accedit, & an etiam negocium id de quo agitur notario qui tunc se illi offert, tutò committi valeat. Non enim in criminalibus causis minima cura iudicis debet esse personã notarij eligere, ac variare iuxta casuum & negotiorum occurrentiam, cùm præcipuè inter plures optio datur. Multùm namque impedit delictorum correctionem tabellionum animus corruptus precibus aut precio, seu particulari quadam affectione, vnde sæpius causarum secreta reuelant, testes negligenter, & non vt decet, examinant, & iudices ipsos variis persuasionibus & fictionibus ad suæ prauæ intentionis tramitem inclinare satagunt, aut aptis importunitatibus oppugnant, eorum insuper torpore & segnitie (cùm à iudicibus seu fiscalibus in similibus causis nihil accipiãt, quò ad laborẽ scribendi & solicitudinem instigentur) perit sæpius probationum copia, & reorum pauperum defensio. Oportebit etiam de omnibus curiæ tabellionibus diffidere, quando illos certioraturos

malefactorem de his quæ geruntur, iudex probabiliter ſuſpicatur, extraneúmque quærere notarium, quo præſente denunciatio fiat, & per quem ſummariè informationis teſtes examinentur, ac mandatum capturæ ſubſcribatur. Proderit præterea quòd iudice præſente denunciationes fiant contra reos, nam ex hoc ipſe facilius illorum memoriam conſeruabit, & melius rationem criminalium cauſarum, & ſtatus earum ab officialibus exiget, nec eis licebit, aliquorum proſequi cauſas, & reliquas pro arbitrio ſilentio præterire.

Officiali ac vicario generali.

CAPVT III.

HI DVO termini officialis, ac vicarius inter ſe differunt, vt notat Guilielm. in clemen. j. de offic. vicar. quem refert Federic. de Senis in conſil. cccij. incipien. Reuerende pater dicitur in iure, in colum. fin. Nam quicquid poteſt officialis, poteſt & vicarius, ſed non conuertitur: & officialis non habet poteſtatem circa actus ſpirituales extraiudiciales, quia illud pertinet ad vicarium in ſpiritualibus, & vicarius poteſt punire & corrigere, non tamen officialis. Quando autem epiſcopus vnum ſolùm vicarium conſtituit, credit Federic. vbi ſuprà, quòd tranſit in eum quicquid tranſit in officialem, & quicquid tranſire potuit in vicarium in ſpiritualibus. Ioan. Andr. tamen in addit. ad Specul. in rubr. de of

de officio vicarij, dicit quòd ista vocabula sunt synonyma, & sic idem est dicere officialis, quod vicarius, & quòd dimittenda est ista diuersitas vocabulorum consuetudinibus patriæ, quem refert Barbat. in clem. Et si principalis. de rescript. in j. col. qui dicit quòd ista opinio Ioan. Andr. videtur verior, & sic quòd nulla sit differentia in effectu, sed solùm in nomine, reiecta opinione Guiliel. vbi suprà, qui nititur facere differentiam inter ea quæ sunt gratiæ, & iustitiæ, & iurisdictionis voluntariæ, prout latius ipse refert. Præter alia autem quæ in his qui creandi sunt officiales adesse debent, tanquam quibus totius diœcesis moderatio ac regimen committenda sunt, aut saltem committi solent (licet verius ij coadiutores, non verò excusatores episcoporum esse deberent) vt crimina corrigere & punire possent, pœnámque depositionis infligere, non sufficit quòd solùm aliquis in officialem creetur, sed requiritur quòd sibi expressè prædicta committantur: vt sanxit Bonifacius huius nominis pontifex viij. in capit. licet, de officio vicar. libro sexto. Sufficeret etiam iuxta glos. ibi quòd expressis aliquibus casibus ex requirentibus speciale mandatum, cætera sub generali clausula committerentur. Aduerte tamen quòd talis officialis ex generali mãdato posset inquirere, vt notant Ioã. mona. Lapus, & Domin. contra Ioan. And. ibi & vide notabile verbum in ista materia per Marian. in capit. Qualiter. lo ij. de accusat. quæstione v. articulo xiiij. quod refert Felinus in capitul. Non potest. de re iudicat. in iiij. col. vbi dicit quòd

licet vicarius episcopi ex generali mandato non potest punire, tamen sicut potest inquirere vt suprà, ita posset inquisitum absoluere absque alia relatione ad superiorem: & dicetur facta inquisitio & absolutio ex potestate ordinaria vicarij, quæ non imperditur, per d. cap. licet, quod dicit dictum peregrinum & nunquam obliuiscendum. Et quàmuis Ripa in l. qui condemnare. in iij. col. nume. penul. ff. de re iud. referat hanc conclusionem Maria, & Felin. & dicat quòd ista decisio non videtur vera, quia vicarius non prohibetur condemnare criminosos fauore ipsorum delinquentium, sed defectu potestatis iurisdictionis. Vnde cùm vicarius careat potestate, non videt quomodo possit absoluere. Ego credo eorum opinionem esse veram in terminis in quibus ipsi loquuntur, quia dicunt, quòd sicut permittitur vicario facere inquisitionem ad effectum remittendi culpabiles inquisitos ad episcopum, sequendo decisio. Rotæ lxvj. in nouis. ita si post inquisitionem inuenerit eos innocentes, potest absoluere. Nam in isto casu sententia absolutoria vicarij non est à crimine, vnde non operatur exceptionem rei iudicatæ, ad quam pronunciandam necessaria esset iurisdictio, sed est solùm absolutoria ab inquisitione per eum formata, ad quam sufficit eadem potestas qua potuit inquisitionem formare, & eundem quem absoluit ad episcopum remittere, si fuerat inuentus culpabilis. Et isto modo non obstat regula negatiua, Quòd qui non potest condemnare, non potest absoluere: in qua etiam videtur fundari Ripa, dum impugnat prædictos doctores. An autem quando officialis episcopi fecit compositionem

nem

rem pecuniariam ſuper adulterio poſſet præiudicare epiſcopo, quò minus poſsit iterum cognoſcere, & debita pœna clericum criminoſum punire, vide Paul. de Caſtro conſil. cccxlviij. notandum, in primo volumine. & ſi quiſquam dubitauerit, cur tantorum ac tam grauium criminum cauſas, coram ſolo officiali epiſcopi tractandas, ac ab eo definiendas propoſuerim, cùm antiqua iura Aegatenſium & Cartaginenſium conciliorum, ſtatuerint, diaconum à tribus epiſcopis vicinis, presbyterum à ſex, audiendos eſſe. Vt habetur in capitulo, Si quis tumidus. cum duobus ſequentibus xv. quæſt. vij. præcipuè, cùm illa tria capitula intellexerit Archidiacon. ibi, in cauſa criminali, in qua proceditur ad depoſitionem, prout ſunt in hac noſtra denuntiatione plura crimina depoſitione digna. Huic dubitationi ſatiſfaciendo dicimus, quòd de conſuetudine audiunt epiſcopi per ſe, vel per officiales ſuos cauſas criminales clericorum ſuorum: vt notat Specul. titul. de accuſatione, in §. Quarto loco. cuius meminerunt Ioan. Andr. & Domi. & Philippus, in cap. degradatio, de pœnis, libr. vj. Vnde ſolus epiſcopus ſine numero aliorum epiſcoporum poteſt clericum verbaliter deponere, vt notant ibi Domi. & Philip. In criminibus autẽ illis in quibus procedendum eſt ad actualem degradationem, tunc adhibendus eſt numerus epiſcoporum: de quo in dictis iuribus in examinatione & definitione cauſæ, & ad pronunciandam illam verbalem depoſitionem, quæ debet præcedere actualem degradationem, vt notãt Dominicus & Philip. in d. c. degradatio. & ſcribitur in libro Põtificali, fol. 203. col. iiij. Hodie verò

in concilio Tridétino in tertia seſsione celebrata, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, canone iiij. ſtatutum eſt quòd liceat Epiſcopo ſeu eius vicario procedere in dictis crimi nibus etiam ſine requiſito numero Epiſcoporum: ſubrogatis tamen loco eorum totidem Abbatibus vel perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, prout habetur in decreto dicti concilij tenoris ſequentis: Epiſcopo per ſe ſeu illius vicarium in ſpiritualibus generalem contra clericum in ſacris etiã presbyteratus ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nécnon verbalem depoſitionem, & per ſeipſum etiam ad actualem atque ſolennem degradationem ab ipſis ordinibus & gradibus eccleſiaſticis in caſibus in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia, in numero à Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat, adhibitis tamen & in hoc ſibi aſsiſtentibus totidem Abbatibus vſum mitræ & baculi ex priuilegio Apoſtolico habentibus, ſi in ciuitate aut diœceſi reperiri & commodè intereſſe poſsint. Alioquin aliis perſonis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graues, ac iuris ſcientia commendabiles exiſtant.}

Ego N. presbyter.

CAPVT IIII.

VM enim in curiis eccleſiaſticis officio fiſcalis functuri, vltra laicorum crimina, clericorum etiam flagitia accuſare, ſeu denunciare debeant, & laicis interdictum

dictum sit clericos accusare, vt in cap. Laico, & in cap. Sicut sacerdotes. ij. quæstio. vij. optimè faciunt Prælati, si sacerdotes aut in sacris saltem constitutos viros, similibus præficiunt officiis: illi namque non ea qua seculares viri inuidia, ac infestatione, clericorum flagitia accusabunt, aut iudicibus nunciabunt, & vitia solùm persequentes, reorum personas tanquam in eadem sorte Domini vocatas non abhorrebunt. Fiet insuper vt ad occultanda crimina, nõ sic facilè muneribus corrumpantur. { Quod tandem prudenter statutum inueni inter Constitutiones Cæsarauguſtanæ Prouinciæ, cuius est Ecclesia nostra Calagurcitana, in titulo, de procuratoribus, in Constitutione pénult. tenoris sequentis: Nullus decæterò procurator fisci admittatur: nisi in sacris sit ordinibus cõstitutus, suffraganeis nostris & eorum Officialibus contrarium faciendi potestatẽ omnimodã adimentes. } Debẽt tamen prælati cauere, ne similia officia illis vel aliis sub annuo censu locẽt. Nam dum hoc fit, feruent vitiis omnibus reipublicæ, clericíque ac laici facinorosi, non vitæ emendatione, sed pecuniæ præstatione canonicam vltionem effugiunt, quam promerentur, sícque dum quid offerre possint habeant; quod in eis aliquid puniri possit, non timent. Cùm præterea synodalium testium vsus insimul cum ipsa synodorum celebratione (non paruo christianitatis dispendio) perierit, & eorum loco in singulis diœcesibus ij, quos fiscales vulgus appellat, creati videantur, non minima debet esse prælatorum cura, vt ad huius officij onus & exercitium prudentes, fideles ac solertes viros eligant,

qui ſubditorum ſuorum ſpiritualia vulnera valeant inueſtigare, illáque iam nota, & probatione non difficilia prælatis eiſdem aut ſuis vicariis reuelare ignauia nō differāt, aut perfidia diſsimulent. Et vt hoc diligentius obſeruent, aduertāt ſemper Prælati ſeu eius Vicarij in creationibus talium fiſcaliū, vt eos faciant ante omnia iurare, quòd officiū ſuum fideliter, diligenter, & legaliter exercebunt. Cùm enim tales cenſeantur publici denunciatores, tenentur in principio ſui officij iurare, vt notat Angel. in l. ſi vacantia. de bon. vacant. libr. x. quem refert Præpo. in c. de accuſatione. ij. quæſt. viij. col. lxv.

Promotor ſeu fiſcalis curiæ veſtræ.

CAPVT V.

OFFICIVM huius fiſcalis creati à prælato, vel iudice, loco officij iudicis ſuccedit, & quod facit iſte ex mandato iudicis, videtur facere ipſe iudex, vt notat Præpo. in capit. de accuſatione. ij. quæſtio. viij. in colum. xxxvj. & colum. xxxix. Vnde non tanquam pars accuſans debet iudicari. Pro quo optimè facit quod notat Innocent. & alij, vt refert Felinus in columna ſecunda, in capit. Cum clamor. de teſtib. quòd quando proſequutor inquiſitionis eſt datus à iudice, ad ipſam inquiſitionem proſequendam, tunc quia talis non eſt propriè pars, ſed miniſter iudicis, ad eius inſtantiam poſſunt teſtes repeti, quia tunc potius iudicis officio repetuntur.

tur. Ex quo ego aliâs dicebam in contingentia facti, quòd ſicut iudex procedens ex officio ſuo, & non ad petitionem partis, præcedente infamia, poteſt reum cogere ad iurandum de veritate delicti de quo infamatus eſt, vt notat Abb. in cap. Cum ſuper. de confeſ. quaſi ad finem. Pari modo poterit hoc facere ad petitionem dicti fiſcalis, cum hoc tamen neceſſario temperamento, videlicet niſi fiſcalis proſequeretur talem accuſationem, ex qua ſi vincat, defertur lucrum ſibi ab aliqua conſtitutione ſynodali, vel conſuetudine præſcripta, cùm tunc videatur ſequi proprium intereſſe, & ad id oporteat probationes habere legitimas.

De nuncio.

CAPVT VI.

LIBVIT enim ſub denunciationis verbo hanc delictorum congeriem ſcribere, quia Epiſcoporum promotores ſeu fiſcales magis denunciatoribus, quàm accuſatoribus aſsimilari par eſt. Et licet variæ ſint in iure denunciationis ſpecies, vt declarat Henri. in capi. Nouit. de iudic. fin. col. Et latius ibi proſequitur Abba. & diffuſius Præp. in capit. de accuſatione. ij. quæſt. viij. in colum. lvj. & pluribus aliis. Illa tamen quæ materiam noſtram complectitur eſt denunciatio, quæ dicitur publica, quam ſic diffiniuit ſeu deſcriſit Præpo. vbi ſuprà, in colum. lxiiij. Eſt enim denunciatio, criminis alicuius apud competentem iudicem, per officialem ad hoc deputatum facta delatio, ad pœnam eidem inferendam. Competit nam-

que hæc ex mero iudicis officio procedentis in ea ad denunciationem ſeu promotionem ſuorum officialium : ſecundum prædictos doctores vbi ſuprà, & fundatur ex l. ea quidem. C. de accuſation. & c. Epiſcopus in ſynodo. xxxv. quæſt. ſexta. & l. diuus. ff. de cuſtodia & exhibitione reorum. cap. præterea. de teſtibus cogendis. Et nota quòd ab iſta denunciatione repelluntur officiales, ſi ſunt criminoſi, vel infames, notat Henricus d. colum. fi. allegat textum. & quod ibi notat Bernard. in dicto cap. Præterea. Et licet in hac materia denunciationis publicæ Doctores, communiter ſcripſerint in d. cap. nouit, & in dicta l. Ea quidem. quòd notoria tantum crimina denunciari poſſunt. Communis tamen ſtylus curiarum eccleſiaſticarum admiſit, vt indiſtinctè illarum fiſcales, ſeu promotores accuſationes ſuas, vel propriùs denunciationes inſtituant, in quo videtur recepta opinio Saliceti in dicta l. Ea quidem, dum dicebat, quòd etiam non notoria denunciari debent, dummodo probari poſsint, quod æquum videtur : nam ſi de ſolis notoriis criminibus clerici per fiſcales accuſandi eſſent, plura alia, quæ ſæpius occulta, & ſi probabilia ſunt, impunita manerent. Vnum autem conſulendum ſe offert iudicibus eccleſiaſticis, vt non permittant de aliquo occulto crimine accuſari clericum apud eos per fiſcales, niſi delatorem ſibi prius obtulerint, aut videant, quòd dicti officiales ſufficienti probatione, aut legitimis indiciis muniti cauſam ipſam aggrediuntur. Si enim Reges noſtri ſuis ficalibus iniungunt vt habeant delatorem, cur & iis qui ad accuſan

fandos clericos creati ſunt officiales per epiſcopos hoc non præcipietur? Et quia de delatore mentionem fecimus, & hæc materia Canoniſtis non eſt famiſiaris, ideò circa eam notari debent ſequentes cõcluſiones. Quòd quãdo iudex delatorem admiſerit, ille ſe obligare debet de probando quod denunciat, ita quòd fiſcus obtineat: vt probatur in auctentica, de exhibendis reis. §. j. per quem ita determinat Lucas de penna, in rubr. de delatoribus. lib. x. colum. ij. verſic. Ad deferendum. Poſtquam verò obligauit ſe probare quod detulit, ſi ſemiplenè probauit, non ſufficit quò minus condemnetur ad pœnam, ad quam ſe aſtrinxit ſi non probaret, vt concludit dictus doctor in l. ij. eiuſdem tituli, in iij. column. verſic. Sed pone. Si autem delator probauit crimen, & reus defenſiones iuſtas, tunc ſi tales erant adeo notæ, quòd delator habuit iuſtam cauſam credendi quòd iniquè procedebat ad delationem, tunc non excuſabitur à pœna. Secus autem quando detulit crimen quod erat publicè notum, & defenſiones totaliter occultæ, & fama in contrarium habebatur, quia tunc delator excuſabitur à pœna, ſi ſuam, vel ſuorum iniuriam proſecutus eſt. Si autem deduxit crimen in delationem, cuius vindicta ſua non intererat, tunc puniendus eſt, quia ſe ad id aſtrinxit, quod ſua non intererat. Ita concludit idem lucas in d. col. iij. & ſequen. Ego tamen crederem in hoc ſecundo membro mitius puniendũ delatorem cui delictũ fuit notum, & defenſiones occultæ, quàm in caſu præcedẽti, quia licet eius nõ interfuerit ratione ſuæ vel ſuorũ iniuriæ, potuit mo

ueri

ueri zelo iuſticiæ & publicæ vtilitatis, quæ verſatur in expurganda prouincia malis hominibus. Quando verò reus abſolutus fuit, quia teſtes fuerunt reprobati, propter delictum delatoris producentis, vt quia corrupti precio, vel aliâs falſum dixerunt, tunc bene credit Lucas, vbi ſuprà, in iiij. collum. puniendum eſſe delatorem. Et idem dicit, ſi probatum fuit teſtes eſſe inhabiles, aut criminoſos, & hoc eſſe publicè notum delatori. Secus tamen ſi ſunt repulſi ex alia cauſa, ſine culpa delatoris, vel quã ipſe potuit ignorare: quia tunc nõ tenetur delator ad pœnã, ſecundũ eum. Quod tamen credit verum, vbi delator ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequitur, aliâs videtur ſibi dicendum quòd teneatur, quia non ſatisfecit ei ad 'quod ſe ſpontè obligauit. Sed ego etiam in hoc caſu crederem, arbitrio boni iudicis relinquendum, vt conſideret, an delator habuerit iuſtam cauſam ignorandi defectus teſtium, & an publicum fuerit delictum, & numerus teſtium ſufficiens, aliter enim nullus audebit crimina iudicibus referre, quantumcunque illa probare poſsit timore alicuius occultæ defenſionis competentis reo accuſando. Placet prætereà dicti doctoris ſententia in d. l. ij. col. v. verſic. Item quid ſit, dum tradit, quòd ſi quis denunciat plura crimina capitalia, quæ ſe obligat probaturum ſub aliqua pœna, & ex illis vnicum probat ſufficiens ad condemnationem capitis, quòd non euitabit pœnam, quia non impleuit quod promiſit, & ſibi imputet, qui ſe onerauit ad ſuperflua comprobanda, quod poſſet practicari in materia noſtra, quando quis detuliſſet plura crimina depoſitione, vel aliqua pœna

cano

canonica digna,& vnum ſolũ probaret, immò plus aſſerit dictus doctor, quòd qui ſe aſtrinxit probaturum crimen ſub certa qualitate in denunciatione deducta,quòd non excuſatur à pœna,ſi non probauit crimen cum eiuſdem circũſtantiis, & qualitatibus,prout detulit,quamuis crimen probauerit fuiſſe commiſſum,vnde in hac materia delatorum iudicibus eccleſiaſticis conſulo, vt cùm eos acceperint, denunciationem ab illis factam in ſcriptis redigant, eóſque aſtringant ad probãdum omnia crimina ibi deſcripta, cum ſuis qualitatibus ſub pœna in obligatione declaranda, monendo eos vt crimina, quæ probare non poſſunt, in delatione non inſerant, nulla in eis poſt monitionem & obligationem pœnitentia recepta:quia aliâs clerici accuſati de variis criminibus, infamati manent apud populum, qui cùm accuſationis noticiam habet,non ſemper defectũ probationis aliquorũ capitulorũ intelligit.Nec decipiat quoſdã iudices pietas quædã nociua, quæ eos retrahit à cõdẽnatione expẽſarũ & pœnæ,quia vident delatores aliqua ex his quæ detulerint probaſſe,magis in hoc amantes ſuſurrones & maleuolos fouere,quàm clericorum honori & famæ conſulere,Nec præterea ob id quòd delatores habeant obligatos ad probandum crimina quæ deferunt, faciles debent eſſe iudices in captura clericorum, maximè in grauibus delictis, niſi prius ſufficientem habeant informationem, quia ſi poſtea deficit illa, non ſatisfactum eſt captorum clericorum honori, relaxatione à carceribus,& condemnatione expenſarum & pœnæ facta contra delatores:cùm infamia carcerationis ob famoſum crimẽ vix aliqua relaxa-

tione

tione quatumuis honorabili, posſit bene dilui, seu purgari. Et nota prætereà in propoſito quòd ſentẽtia abſolutoria lata ſuper denunciatis, prodeſt ſicut lata ſuper accuſatis. ita notat Præpo. in cap. de accuſatione. ij. quæ. viij. in col. lxviij. verſ. quæro an abſolutoria. allegat Sali. in l. Ea quidẽ, verſ. decimoquintò quæro. de accuſationib. An autem iudex eccleſiaſticus debeat ſtatuere terminũ accuſare volentibus? Abb. in cap. inter. de purga. cano. col. ij. diſtinguit, videlicet quòd ſi Epiſcopus vel ſuperior habet probationes promptas contra infamatum, tunc non eſt neceſſe, neque vtile ſtatuere terminum accuſare volentibus, quia poſſet ſupponi amicus, & fieri colludium, & alia ratione de qua per eũ. Si tamen non habet illas promptas, poteſt, ſi vult, ſed non eſt neceſſe, ſufficit enim quòd accuſator ſe nó offerat. Ego ſemper tamẽ intellexi dictã concluſionem Abba. in delictis in quibus non cõſtat quòd aliqua perſona ſit offenſa ex eis. Aliter enim bene crederem iudicem eccleſiaſticum debere illam requirere, an velit accuſare antequàm ex officio, vel ad petitionem fiſcalis procedat. Nam ſi inquiſitionem ex officio formauerit, vel ad fiſcalis petitionem proceſſerit, non requiſita parte offenſa, & poſteà ſuperueniat accuſator, tunc ſeruanda eſſet diſtinctio Sali. in l. Ea quidem. ver. Quia propter. C. de accuſ. quam refert, & ſequitur Angel. in tractat. maleficiorum. in parte, hæc eſt quædam inquiſitio. fol. xvj. in parua impreſsione. Cuius etiam opinionẽ dicit cõmuniter teneri Fel. in cap. Qualiter, & quãdo. el ij. in §. licet, in fin. de accuſ. quam diſtinctionem hîc tranſcribere nolo. Vnum tamen non obmittam in propoſito, quòd ſi offenſus dixit ſe nolle accuſa-

re,& ideò iudex formauit inquisitionem, vel fiscalem audiuit,& posteà offensus producat accusationem,tunc accusatio illa non debet audiri nec recipi,quia iudex præuenit eum antequã reuocaret voluntatem suam,vt notat Bal.in l. Accusationẽ.C.qui accus.non pos.quem refert Aug.in addi.ad Ang.in d.fol.xvj.Et quia posset aliquis dubitare, vtrũ promotor aut fiscalis de quo in huius nostri operis denũciatione meminimus, possit clericũ accusare de quocũq; crimine,nulla facta distinctione priuatum sit an publicũ,videtur in hoc dicẽdũ,quòd sic: quia de iure canonico omne crimen est publicũ vt notat glo.in cap.infames. vj.quæ.j.& sequitur Bal.in rub. C.qui accu.nó pos.in pen.col.& Rom.in singulari Dclxxxj.Tu audiuisti, & talis est publici criminis natura,quòd cuiuis ex populo cõpetat ius accusandi,vt probatur in princip. inst.de publicis iudiciis, quantò magis cõpetere deberet officiali publico ad accusandũ, vel denũciandũ crimina deputato? { & quia in materia huius capituli placet mihi constitutio prouincię Cæsaraugustanæ,quæ habetur in tit. de accusationi. prima in ordine,libuit eam transcribere,cuius tenor talis est:Procurator fisci noster,seu suffraganeorũ nostrorũ nequaquã ad agendum, seu denunciandum, prætextu officij sui contra aliquẽ admittatur:donec proposita, seu denũciata credere esse vera,& se posse probare firmauerit iuramento. Quòd si aliquo instigãte per se,vel cũ eo processerit ad prædicta instigator ad expẽsas se obliget, vel det inde quã poterit cautionẽ:reus autem & citatus respõdere minimè cõpellatur,donec iuratũ,& cautum fuerit,vt præfertur.Contrà factũ sit irritũ ipso iure.

Con

Consulóq; omnibus Episcopis vt in omnibus suis curiis hoc idem seruari præcipiant, iusta est enim prædicta decisio & quæ honori prospicit subditorum, & fiscales omnes vigilantiores reddit, eorúmq; leuitatem in accusando compescit.}

Quòd Coluberius & Serpelio.

CAPVT VII.

CVM in hac ficta denunciatione tot scelera aliquibus imponenda essent, qui ex illis inculparentur, placuit etiam hæc nomina fingere, quæ à colubro & serpente deriuarentur. Qui enim tantis criminibus irretiti essent, non hominum quidem, nec quorumuis etiam animalium, sed deteriorum nomen promereri par est, illorum præcipuè cuius effigiem dæmon assumẽs (qui autor est malorum omnium) parentes primos decepisse, ac vicisse cõperimus: libuit hoc etiã & ea ratione, quia & nostri iuris interpretibus placet, effectus aliquos tradere, ex eo quòd quis malum nomen habeat, vt per Fran. Bru. in tractatu de iudi. & tor. xij. car. in iij col. & per Hippoly. in l. j. in princ. colum. xvj. ff. de quæstio. quàmuis ego semper credidi doctores prædictos intelligendos esse de malo nomine malis moribus adquisito, non verò de eo quod licet sit malum, qui habet illud non elegit, sed suscepit tempore quo non fuit in eius arbitrio vel potestate repellere. Duo prætereà clerici & non vnus in hac denunciatione positi sunt, vt per hoc compertum habeat iudex ecclesiasticus plures eodẽ libello accusari posse de eisdem criminibus, vt in l. j. & ibi

& ibi Bald.C.Si reus vel accusat. mort.fuer.& in l. Vim passam.§.incesti.ff.de adult.Et notat Specul. in tit.de accusatore.in princ. in versic. item quòd non potest.

Huius diœcesis originarij.

CAPVT VIII.

ORIGINIS propriæ ratione sortitur quis forum,vt probatur in l.j.C.de munic.& origi.{libr.x.}iuncta glos. fin. & in l.origine. iuncta etiam glos. ibi eod. tit. & in l.j.in princ. & notatur in l. assumptio.ff. ad municip.Specul.in tit.de compe. iudi.adi.in versic. xlij.& ibi Barth. in d.l. Assumptio.§. filius,quasi ad fin. vbi post Iacobum de Aret.quem refert, concludit, quòd potest quis conueniri in loco originis propriæ vel paternæ , per l. incola. ff.eo.si ibi inueniatur. & ita tenet Baldus in rubr.C.Si non à comp. iudi. in fin. loquendo simpliciter de loco originis. & quòd ratione originis suæ sortiatur quis forum, notat Bald.in l.fin.col.j.C.Si non à compe. iudi. Allegat text.in cap.ex parte,de for. compet.& talis dicitur subditus secundum eum,ratione personæ tantùm.& vide Alexand.in d.l. Assumptio.in addit. ad Bart.qui dicit hanc esse communem sententiam,videlicet quòd si ibi non inueniatur , non potest conueniri, nisi quò ad finem distribuendi bona ibi sita. In criminalibus autem causis Bald. in sua margarita,in vers.iudex.in v.col.dicit,quòd iudex originis potest procedere contra suum subditum de delicto alibi commisso,per l.iij.cum l.sequenti.ff.de interd. & allegat Bart.in l.Sepulchri.ff.de sepulc. violat. &

glos. singul. in l. relegatorum. §. interdicere. ff. de interd. & relegat. Idem voluit Bart. in l. si cui. §. fin. ff. de accusat. per l. j. C. vbi de crim. agi opor. Vide etiam Alciat. in cap. j. de offic. ordin. super glos. in verbo iudicare. in princ. vbi dicit quòd communis opinio est, quòd si quis non puniatur in loco delicti, poterit puniri in loco originis secundum formam statutorum loci, in quo deliquit, per l. Sacularij. §. sunt quidam. ff. de extraordina. crim. Et per notata per Moder. in l. cunctos populos. C. de summa Trinit. & fid. cath. Ex quo videtur inferri posse, quòd iudex ecclesiasticus originis propriæ, vel paternæ potest procedere contra clericum originarium, si ibi repertus fuerit ratione delicti alibi commissi. Pro quo etiam facit text. in cap. Cum nullus, de tempo. ordin. lib. vj. vbi probatur quòd Episcopus loci originis, dicitur proprius, vt quis possit ab illo ordines recipere. Quod procederet siue per viam accusationis, siue inquisitionis agatur contra clericum, per ea quæ infrà dicentur in seq. §.

In ea domicilium habentes.

CAPVT IX.

DOMICILII forus generalior est omnibus aliis. vnde Card. Anton. & Abb. in cap. Cùm contingat. de foro comp. concludunt, quòd iudex domicilij potest cognoscere de delictis suorum clericorum etiam alibi commissis. & idem tenet Ioan. Calde. in repet. cap. de illis. de rapto. in col. vj. in quæstio. vj. qui respondet ad fundamenta, quæ in contrarium videbantur

bantur vrgere.& vide Bart.in l. Relegatorum.§. interdicere. ff.de interd. & relegat. qui notat ex text. quòd iudex loci vnde quis est incola potest quem punire de delicto alibi commisso.quod dicit esse notandum.& vide Abb. in cap.fin.de foro compet. in col. xiij. versic. Sed circa primam. Vbi concludit, quòd iudex domicilij potest exercere omnimodam iurisdictionem in sibi subditum ratione domicilij, si ibi reperitur, etiam in criminibus alibi commissis. Et vide Ioan. Andr. in cap. Vt animarum. de constitut. in vj. qui dicit quòd siue subditus delinquat extra diœcesim, siue in loco exempto diœcesis, potest ratione fori conueniri coram iudice suo. & idem tenet Ioan. de Ligna. in clem. pastoralis. de re iudi. quod refert Andr. Siculus in d.cap. Cùm contingat. in col. v. vbi respondet ad d.c. Vt animarum. qui huic sententiæ videtur aliqualiter aduersari. Et tandem refert Ioan. Andr. post Odofr. in addi. ad Specul. tenentem quòd hæc sententia procedat, quando proceditur per viam accusationis, secus si per viam inquisitionis: quia tunc iudex agit ad vindictam, & sua non interest, ex quo non deliquit in suo territorio, & hoc attento iure ciuili. Secundùm verò iura canonica vtraque via iudex procedere poterit, & posteà refert Anton. Cinum, & Bart. volentes quòd etiam de iure ciuili hoc procederet, & Abba. in consil. {xxiiij. volum. j. incipienti Rodulphus. num. j.} qui in contingentia facti ita cõsuluit fieri posse. & vide Abb. in col. ij. in d. c. Cùm contingat, qui tenet opinionem Anto. & Bart. & tandem Barba. ibi, in col. vij. & viij. sustinet opinionem Ioan. Andr. & Odofr. contra Cinum & Barth.

& resident in eorum opinione, & credit quòd in practica sua tenetur opinio, quia æquior, & fortioribus innititur rationibus. Et vide Gandin. in tractatu maleficiorum, in fin. vbi hanc quæstionem disputat, & tandem concludit quòd iudex domicilij non potest procedere per inquisitionem contra delinquentem propter delictum alibi commissum, & in fin. col. dicit quòd licet aliud obtineat de iure canonico, tamen hoc procedit de iure ciuili, & sic videtur tenere opinionem Ioan. And. de qua suprà, in additio. ad Specul. licet eum non referat. Et vide Hippol. in sua practica criminali, in §. Constante. in col. xiiij. vbi mouet hãc quæstionem, & dicit quòd doctores in ea sunt varij, & pro vtraque parte remissiuè refert plures doctores, & tãdem dicit quòd magis communis opinio est, quòd iudex originis non possit inquirere, & sic opinio Ioan. Andr. de qua suprà, quem ipse allegat in primo loco pro ista sententia. Et aduerte quòd quando fit mentio de domicilio in dubio, intelligitur de domicilio habitationis, per glos. notabil. in cap. Statutum. §. Cùm verò. in verbo, vnam dictam. de rescript. libr. vj. Notant doctores in c. fin. de for. compet. Bald. in l. fin. col. xj. C. de edict. diui Adrian. Iason in l. Cunctos populos. C. de summa Trinit. & fide cathol. in col. vj. Si tamen clericus est vagabundus, tunc videtur quòd vbicunque fuerit repertus poterit puniri, iuxta glos. in l. j. C. Vbi de crimi. agi oport. quam allegat Gandi. in tracta. maleficiorum, in rubr. vbi puniatur delinquens, circa principium.

Et

Et beneficia.

CAPVT X.

AN CLERICVS, ratione beneficij, quod habet dicatur habere domicilium in loco illius? Sufficiat referre breuiter, quæ tradit latè Felin. in cap. Dilectus. el ij. de reſcript. in j. col. vbi materiam iſtam, more ſuo, per concluſiones reſoluit, videlicet quòd ſi clericus habet beneficium, non requirens reſidentiam, non cenſetur illic habere domicilium ſecundum Innocen. Anto. & Abb. in c. Ex ore, de priuilegiis. Si verò requirit reſidentiam ſortitur ibi domicilium ſecundùm omnes doctores ibi, & in d. c. Ex ore. & alios quos ibi refert: quod procedit, licet ibi non reſideat, ſi ſecum non eſt diſpenſatũ ſuper reſidentia, vt per eundem Felin. ibi in ij. col. in iiij. concluſione. Qui poſt multa concludit quòd talis de facto non reſidens, fingitur ibi habere domicilium in loco beneficij in oneroſis: Vnde habens plura beneficia requirentia reſidentiam, dicitur habere plura domicilia ſecundùm eum ibi, in tertia concluſione, ne, allegando gloſ. in cap. Primatus. lxxj. diſtin. & in cap. Quoniam. xxj. quæſtio. ij. Et in cap. Quia in tantum. de præbend. quod intelligit quando quaſi æqualiter in vtroque reſidet, ſecus tamen ſi in altero ſeruit vicarius eius, quia tũc habet domicilium tantùm vbi reſidet. & hoc etiam tenet Abb. in cap. Poſtulaſti. de foro competen. col. j. Imò plus dicit idem Felin. vbi ſuprà in iij. col. in vj. concluſione, quòd licet clericus poſsit habere domicilium alibi, tamen principale dicitur eſſe in loco beneficij, pro

quo refert Innocen. in d.c. Ex ore, & alios, & idem not. ipse in d.c. Postulasti. in princip. Ex quibus omnibus sic breuiter collectis, & si diffusius illa prædictus doctor scripserit, videtur quòd possit inferri ad nostrum propositum, quòd prælatus diœcesis (in qua quis habent beneficium, in quo tenetur residere, licet non resideat) potest punire talem clericum inuentum in sua diœcesi, de delicto alibi commisso, tanquam sibi subditum ratione domicilij, quàmuis nullum aliud domicilium in sua diœcesi habeat. { Et in materia huius capituli, vide Decium in cap. Quia in tantum, de præben. circa finem. vbi inter alia ponderat text. in cap. iij. de tempo. ordin. in vj. contra communem conclusionem & tandem in fine respondet. }

Grauia & plura perpetrarunt facinora.

CAPVT XI.

QVIA ex qualitate delictorum in dispositione sacrorum canonum pœnæ minuuntur, vel augentur, & in his quæ ad iudicis arbitrium relinquuntur, pari modo aggrauari vel moderari debent: ideo de clericorum delictis tractaturi opportunum est, vt aperiamus quæ leuia, grauia, grauiora, seu grauissima iudicentur. Et in hoc Panor. in cap. Tuæ. de pœnis. scripsit, quòd leuia dicuntur, vbi dolus non requiritur, vt quando aliquid contingit per imperitiam, vel culpam sine dolo: vel quando dolus interuenit

circa

circa rem modicam. Cui adde Angel. in l. Non solùm. §. Si mandato. ff. de iniur. & in l. leuia. ff. de accusat. ad hoc videlicet quæ dicantur crimina leuia, vel non. Et vide Augustt. in addi. ad Angel. de Areti. in verbo, hæc est quædam inquisitio. in addi. v. in fi. quæ per gloss. in cap. Cùm illorum, de senten. excom munica. dicit quòd hoc relinquitur arbitrio iudicis: & quòd secundùm vulgi opinionem ista veniũt in consideratione. Item quòd grauia sunt in quibus exigitur dolus, & tendunt in graue præiudicium alterius, seu reipublicæ: & magna pœna imponitur, vt in furto, periurio, & similibus. Grauiora sunt publica, & quando non imponitur pœna mortis. Grauissima vbi imponitur pœna mortis. Pro leuibus secundùm eundem Panorm. non debet deponi clericus, nec priuari beneficio, sed poterit ad tempus suspendi, vel aliter corripi ad arbitrium superioris. Pro grauibus potest deponi. & adde Felin. in cap. At si clerici. de iudi. in princip. in col. pen. qui dicit quòd quæ dicantur crimina grauia statur arbitrio iudicis, & refert ad hoc Abba. vbi suprà. Pro grauioribus quanquam non sint publica, poterit vltra depositionem detrudi in monasteriũ. Pro grauissimis vbi de iure ciuili puniretur pœna mortis, potest deponi, & damnari ad perpetuum carcerem. Et quia qualitas cuiusque criminis latius in quolibet eorum infrà declarabitur, ista sufficiant pro commento huius particulæ.

Cùm laici essent, sine ordinibus ministrare ac celebrare sunt ausi.

CAPVT XII.

QVAE pœna sit imponenda laicis missam vel aliud sacrum ministerium celebrantibus hucusque canonica Iura non statuerunt: forsan enim antiqui illi patres non crediderunt tantam futuram esse aliquorum hominum temeritatem, vt tantum nephas (quale est sine ordinibus missam celebrare) committerent, & si iam hodie dignum esset hoc speciali sanctione punire, cùm temporibus istis hoc aliquando accidisse comperimus. Cùm ergo casus acciderit, hoc arbitrio iudicis puniendum videtur, in quo oportebit considerare ea, quæ in arbitrariis inferius suo loco consideranda describimus. Bal. tamen in l. Qui sub prætextu. C. de sacrosanct. Eccles. notat, quòd dicens se clericum, & ingerens se actibus clericorum, cùm non sit, est falsarius, quem refert Felin. in c. Tertio loco. de probat. in princ. { vj. etiam Felin. in procœmio decreta. in num. xxxvij. vbi dicit quòd mẽtiens se clericum punitur arbitrio iudicis. & vltra hoc faciẽs actus clericales punitur pœna falsi. } Et vide Præpos. in cap. Quod interrogasti, xxvij. distinct. Clericus autem ministrans in ordine quem non habet, deponendus est, & amplius non ordinandus. text. in c. j. de cle. non ordin. minist. qui sic summatur. Diaconus missam celebrans ad sacerdotium non potest promoueri, à diaconatu suspenditur biennio vel triennio, vt in c. ij. eo. tit. Clericus præterea qui

eà qui cùm non essetordinatus ministrauit in aliquo ordine in apparatu, incurrit irregularitatem, cum quo solus Papa dispensat, tenet Lapus in allegatione xxix. incip. An dispensetur, referendo Calderi. in c. Si celebrat. de cle. excommu. Idem tenent Hostien. & Gofre. vt ad maiores ordines ascendat, sed in susceptis dispensat episcopus, vt notant Angel. in summa, in §. xxxviij. incip. Duodecimò incurritur, in verbo, irregularitas, & Syluester in eod. verbo, in §. Duodecimò quæritur.

Excommunicati.

CAPVT XIII.

POENA clerici secularis recipientis ordinem dum existit in excommunicatione est, quòd deponatur ab illo ordine. Notat Abb. ex tex. ibi in c. Cum illorum. in ij. nota. de senten. excom. cum quo solus papa dispẽsat, vt ibi. Quod procedit, etiam si ab excommunicatione, qua erat ligatus, poterat ab aliquo inferiori citra papam absolui, vt concludit Abb. post Ioan. Andr. vbi suprà, ex ratione quia fuit effectus irregularis, & cum irregularibus solus papa dispensat. Et idem voluit Ang. licet Abb. non referat, in sua summa, in verbo, irregularitas, in §. xxij. incip. Secundò contrahitur. & Syluester in eodem verbo, in versic. Secundò quæritur, Hostien. verò in sua summa, tit. de cler. excom. minis. dicit quòd videtur sibi quòd quando excommunicatus ab ordinario incurrit irregularitatem, quia sententiam eius violauit, posset ordinarius secũ dispẽsare, dicit tamẽ quòd consuetudo refragatur. Et aduerte quòd idẽ est in clerico

qui ſuſpenſus vel interdictus ordines recipit, vt firmant Angel. & Sylueſt. vbi ſuprà, referendo Rai.

Illegitimi.

CAPVT XIIII.

VT AB illicita copula retraherentur, ſéque iuſtis nuptiis alligarent homines, ex quibus prolem legitimam ſuſciperẽt, meritò etiam apud ethnicos ſancitum ac obſeruatum eſt, vt filij illegitimè nati quatumcunque ſine ſua culpa labem ipſam contraxiſſent, honoribus & dignitatibus indigni iudicarentur. Quod nempe & ſi cõſideratione prædicta, vt ſic fiat non reputetur iniquũ, licet filiis ipſis (quibus natura negauit ortum ſuum eligere poſſe) crudele quodãmodo ac durum videatur. Cum illis tamen illegitimè natis viris, qui propria virtute ac bonis actibus paternam culpam in ſeipſis abſtergunt, pluréſque legitimè natos moribus ac meritis antecellunt, ac reipublicæ ſeipſos reddunt vtiliores, talis iuris aſperitas liberaliter & ſine pecuniarum exactione temperanda eſſet, vt ſicut parentes ab illicita copula retrahit (ſi forſan retrahit) filiorum damnum futurum, ſic iam natos contra leges filios, ſpes recuperandi honores, ad virtutem ſequendam impellat. Iuſtum eſt enim vt quos aliena culpa honore deſtituit, propria virtus, & ſi pauperrima ſit (vt ferè ſemper eſſe ſolet) ad honores reſtituat. Quid enim crudelius, ac iniuſtius quàm quòd naturalis quidam parentum exceſſus, virtute ſola, quantumuis clara filiorum, in pauperibus reparari non valeat, in diuitibus tamen qui patrum ſuorum reatui plura propria addiderunt

runt ſcelera,hoc facillimè deleat ſola præſtatio pecuniæ? Prædicta igitur conſideratione, etiam ſacri canones quibus maxima cura eſt ſancto fauere inſtituto matrimonij,ac illicita punire connubia, illegitimos quoſque à clericali tonſura, cæteríſque eccleſiaſticis ordinibus arcet prohibétque, vt in c.j. de fil. presbyt. Et in cap.j & ij.lvj.diſtinct.& hoc per ſex rationes,quas deſcribit Præpo. in d. cap.ij. licet Hoſti.in ſumma,de fil.presbyt.in §.Quæ eſt cauſa. ſolùm tres ſcripſerit. Si quis autem illegitimè natus promotus fuerit,licet recipiat characterem, non habet tamen executionem ordinis.probat text. in cap. fin.lvj.diſtin. Ex quo notant ibi Domini.& Præpo. quòd licet illegitimitas non inficiat habitum ordinis,ſed executionem,ſed talis ordinatus recipit characterem.{ & aduerte quòd tales illegitimi ordinati non incurrunt nouam irregularitatem,ſi ante obtentam diſpenſationem celebrant, vt notat Nicolaus Plouius in tractatu de irregularitate,in xl.regula, referendo Guillel. & Archidi. & hoc dicit ſeruare curiam.}

Rebaptizati.

CAPVT XV.

REBAPTIZATI in tantũ odio habẽtur ab Eccleſia, quòd qui non ignari rebaptizantur,dicũtur quaſi iterũ crucifigere Chriſtum, vt in cap. Qui bis. de cõſe. diſt.iiij.& ideò non ſunt ordinandi ad clericatum, vt in

vt in cap. Confirmandũ. l. diſtin. { & habetur in Cõcilio Carthagi. Quinto, Can. xj. } quod adeò eſt verum, quòd dicit tex. in d. cap. Qui bis. quòd etiam ſi ignoranter rebaptizati fuerint, ordinari non poſſunt. vbi gl. hoc intelligit de ignorãtia iuris, quæ nõ excuſat, non autẽ de ignorantia facti: quia talis rebaptizatio non impediret promotionem. Qui autem ex rebaptizatis ad ſacerdotij gradum indignus aſpirare cõtenderit, cum ordinatoribus ſuis adepti honoris periculo ſubiacebit. ita diſponit Concilium Toletanum iiij. de quo in c. fin. lj. diſtin. quamuis ille text. non intelligatur de ordinatione ad ſacerdotium, ſed ad epiſcopatum, ſecundum Archi. ibi, quem vide notantem quòd tales ſcienter rebaptizati cenſentur perpetuò irregulares, qui reſpondet ad argumentum quod poteſt obiici, qualiter actus qui non habet effectum, ſicut rebaptizatio inducat irregularitatem, & vide gloſ. in dicto capitulo. Qui bis.

Bigami.

CAPVT XVI.

PRAEMISSO prius quòd bigamia pluribus modis contrahitur, vt per Archi. Florent. in iij. parte, titu. xxviij. cap. iij. vbi octo modos illius ſcripſit, quos hîc referre non curo: trãſcripſit enim illos Sylueſ. in ſua ſumma, in verbo bigamia, in princip. bigamos ordinari non poſſe ex pluribus capitulis, in diſtinctio. xxxiiij. à Gratiano collectis comprobatur, præcipuè in cap. Curandum, & in cap. Præcipimus, & in cap.

cap. Si quis viduam. el j. cum duobus ſequentibus. Si verò de facto fuerint aliqui ad ſacros ordines promoti, illis priuandi ſunt, quia in bigamia contra Apoſtolum diſpenſare non licet, vt in cap. Super eo. de bigamis. ex quo patet, quòd bigami recipiunt characterem ordinis. quod etiam probat text. & ibi notat Præpo. ex eo, in cap. Si quis viduam. l. diſtinctio. Et inter alios caſus bigamiæ aduerte ad vnumquod pluries contingit, quòd ſi maritus adulteræ poſt adulterium illam cognouit, non poteſt ordinari. ita probat tex. { in Can. viij. Cõcilij Neoceſſarienſis in ij. edictione, & eſt text. } & illum ſic ſummat Præpo. in c. Si cuius, xxxiiij. diſt. Cuius ibi bonam diſtinctionem vide, videlicet quòd cognoſcens adulteram ſcienter, ſiue ignoranter, repellitur à ſcipiendis ordinibus: ab executione verò ſuſceptorum non repellitur, ſi ignoranter cognouerit, dum tamen poſsit vxorem de adulterio conuincere, & eam dimittere. Immò fortiorem affirmat ſententiã ibi Præpoſi. poſt Bart. Brixi. Ioan. de fan. & Hoſti. quòd licet maritus cognoſcat adulteram ad mandatum iudicis, ſibi præiudicat, licet Inno. in cap. Inquiſitioni. de ſent. excom. in hoc aliter diſtinguat.

Serui ſine dominorum ſuorum licentia.

CAPVT XVII.

QVOD nulli de ſeruili conditione ad ſacros ordines promoueantur, niſi prius à propriis dominis libertatem conſequantur, cautum eſt in conciliis Triburienſi, & Toletano, de quibus in capitulo,

Nulli

Nulli. & in capitulo, De ſeruorum. liiij. diſtinct. & in capitulo j. & ij. de ſeruis non ordinandis.{ eſt enim irreligioſum obligatos exiſtere ſeruituti, qui ſacri ordinis ſuſcipiunt dignitatem. vt ſunt verba Cõcilij quarti Toletani in Can.lxxiij. Adeò præter eà eccleſia olim abhorruit promouendos ad Clerũ, alicui ſubeſſe ſeruitutis ſpeciei, vt etiam libertos ſecularium promoueri vetuerit, vt in Cõcilio Elibertino Cano.lxx. ſub his verbis: Prohibendum vt liberti, quorum patroni in ſeculo fuerint, ad clerum non prouehantur, } Et nota quòd in hac materia appellatione ſacrorum ordinum comprehenduntur etiam minores, vt firmat Præpo. in d.c. Nulli. Aduerte tamen quòd ſeruitus non impedit ordinis ſuſceptionem de facto: quia ſi ſeruus ordinetur, verè ordinem ſuſcipit. Iſtam cõcluſionem ponit Præpo. in ſumma, liiij.diſt. poſt Cardin. ibi. Attamen ſi ſeruus aliquis fugiens dominum ſuum qualibet calliditate, aut fraude ad gradus peruenerit eccleſiaſticos, decretum eſt vt deponatur, & eius dominus eũ recipiat, vt in cap.ij.de ſeruis non ordin. Vbi vide bonam diſtin. quam deſcripſit Abb. poſt gloſ. quam nec in ſubſtantia referre libet, nec tranſcribere decet, quia tẽporibus iſtis caſus hic rariſsimè contingit.{ Qua autẽ pœna puniatur Epiſcopus, qui ſciẽs ſeruum ordinauit, aut qui illi neſciẽti teſtimonium perhibuit, de eo, vide Cõcil. Aurelianen. j. in Cano. x. vbi illa Deſcribitur in hæc verba: Si ſeruus abſente vel neſciente Domino, Epiſcopo ſciente, quòd ſeruus, Diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipſo in Clericatus officio permanente, Epiſcopus eum Domino duplici ſatisfactione compenſet. Si verò

verò Episcopus eum seruum nescierit, qui testimonium perhibent, aut supplicauerint ordinari, simili redhibitioni teneantur obnoxij. Quod Concilium transcripsit Gratianus in c. Si seruus. liiij. distinct. }

Illiterati.

CAPVT XVIII.

POSTEAQVAM almus ille paracletus Apostolos ac omnes alios, qui primùm mundo orthodoxam fidem nostram annunciaturi erant, doctrina sacra perdocuit, ac diuinis imbuit mysteriis, aliósque Ecclesiæ doctores illuminauit, qui doctrinam ab eó inspiratam futuris temporibus pro salute fidelium in scriptis redigerent, iã non sic in quacunque seculi ætate, nouos edocet Apostolos, aut doctores illuminat. Vnde ecclesiam sanctam gubernaturis onus cernitur iniunctum, vt proprio discant labore, quæ populis valeant prædicare, quóve ignorãtes in fide instruant, ac omnes ad Christianos mores obseruandos persuadeant. Piéque constitutum est, vt qui addiscendi laborem non sunt perpessi, gubernãdi, ministrandíque in ecclesia Dei honore non fruantur, præmaximè quidem ad sui regimen viris literatis Ecclesia noscitur indigere, vt inquit text. in c. Cum ex eo. de elect. in vj. Vnde meritò Gregorius prohibuit ignorantem literas ordinari, vt in c. Præcipimus. xxxiiij. dist. & idem censuit de illiteratis Gelasius, vt habetur in c. Illiteratos. xxxv j. dist. { & in c. j. lv. distin. & Hilarius papa in c. pœnitentes. ea. dist. } Præterea Iustinianus Imperator in auth. de Sanctis. Episcopis. §. Clericos, col. ix. nisi literas scirent, non permis

permisit clericos ordinari,& hodie etiam neque ad primam tõsuram illiterati viri promoueri possunt, vt in cap.fin.de tempor.ordi.in vj. quòd ibi intelligunt Domin.& Philip.in penitus illiterato,per tex. iunctis glos.in d. cap. Præcipimus, & in dicto cap. Illiteratos,cum quo non possunt dispensare Episcopi vt fiat clericus, vt notat Inno. in cap.Dilectus. de tempo.ordin.cui assentiuntur Domi. & Philip. vbi supra,{ & Phil.in c.per tuam.de Simon.num.iij.} & vide Cardi.de Turre cremata,in c.Si in laïcis.xlviij. distin.vbi facit firmam conclusionem, quòd super omnimoda ignorantia in sacerdote,nulla potest cadere dispensatio:quia de iure diuino est,quòd sacerdos habeat scientiam, vt habetur Osee iiij.cap.Si autem carens literis omnino fuerit ordinatus, recipit characterem, vt firmant Innocen. & Ioan. Andr. in cap.Cum in cunctis.de electio.quod refert à Turre cremata,in dicto cap.Illiteratos, & idẽ tenet Cardi. post Lauren.in clem.j.in fin.verbis.de æta.& qualit. qui asserit quòd etiam puer vnius diei baptizatus si ordinetur,recipit characterem. Pœna autem illiterati,qui ad sacros ordines fuerit promotus, cùm in iure non sit statuta expressè, arbitrio iudicis reliniquitur, quæ videtur esse conueniens, vt ab ordinibus suspendatur,donec sufficientiam tali ordini requisitam habuerit.{ Practica prætereà prælatorum & suorum officialium,qua solent ignorantes clericos semipromotos,pœnis condignis,vt studio vacent,compellere,fundamentum habere potest,ex his quæ dispositа sunt In Concilio Toletano viij. in Cãno. viij. Sub his verbis: Illi sanè qui iam honore dignitatum funguntur, huiusce tamen ignorantiæ

cæci

excitate vexantur, aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut à maioribus ad lectionis exercitia cogantur inuiti. Absurdum siquidem est eos, qui cęteros simpliciores & laicos habent docere, quibus & disciplinæ & vitæ debent esse, veluti quoddam speculum, ad alicuius ordinis promoueri statum, qui legem Dei ignorant, nec literarum saltem mediocritate sunt insigniti. } Si verò omnino illiterato vltra prædictos ordines beneficium fuerit collatum, eo dignè priuari potest: quia collatio beneficij facta tali non tenet: vt notat Philip. in dicto cap. fina. de tempo. ordi. in vj. referendo Innocen. & Ioan. Andr. in cap. Cùm nostris. de concess. præben. æquiparat enim Inno. ibi illiteratum mulieri ac infanti. { Et facit quod Feli. tenet in c. inquisitioni, de sententia excommu. vbi dicit quòd si papa scribat, etiam ex certa scientia pro illiterato, credit, quòd non est ei obediendum: quia vitium illiteraturæ est de iure diuino. c. nisi cum pridem, de renuntia. c. literaturæ, 38. dist. Et confirmat hoc, quia ius canonicum magis abhorret illiteratum, quam homicidam, quia collatio facta homicidæ tenet: secus si fiat illiterato, quia est ipso iure nulla, & refert ita tenere expressè Imol. in d. c. cùm nostris. Per quæ verba dicit etiam idem Feli. in c. si quando, col. 10. nu. 30. de rescript. quòd omnino illiteratus est incapax dignitatis ipso iure, sicut infans, furiosus, & similes. Et paulò inferius tractando de sufficientia requisita in prælatis, dicit, quòd vbi concurrit totalis illiteratura, credit quòd si papa dispensaret, esset dispensare directe contra ius diuinum. Penitus autem illiterati illi dicuntur, qui nesciunt facere officium ad quod

tenẽtur, vt dicit Domini. in c. ſedulo, 38. diſt. col. 2. ℣

Poſt peractam pœnitentiam ſolennem.

CAPVT XIX.

SOlennis pœnitentia ab antiquis patribus inducta eſt, vt grauia & ſcandaloſa in populis crimina euitarentur, quæ quidem ætate noſtra in vſu non eſt, non peccatorum defectu, ſed prælatorum incuria. Quia tamen futuris ſeculis eccleſia ad priſtinum decorem reſtituta, & ipſa pœnitentia ſolennis reſtituẽda erit, placuit effectum, quem operatur in noſtra materia, in præſenti deſcribere, qui talis eſt: Vt qui ſic ſolennem pœnitentiam egerunt, non admittantur ad clerum, vt diſponit Siricius papa in cap. Illud. I. diſtin. & ſtatutum fuit in cõcilio Toletano {primo in Canone ij.} de quo in c. Placuit. ea. diſtin. Si tamen neceſsitas aut vtilitas Eccleſiæ exegerit, tunc deputari poſſunt inter oſtiarios vel lectores, ita quòd epiſtolam vel Euangelium non legant, vt in dicto cap. Placuit. Quod ideò ſancitum eſt propter quatuor rationes. Primò, propter dignitatem ſacrorum ordinum. Secũdò, propter timorem recidiui. Tertiò ob ſcandalum vitandum, quod poſſet oriri ex memoria præcedentium peccatorum. Quartò, quia ille qui ſic ſolennem pœnitentiam egit, non haberet frõtem alios corrigendi, cùm peccatum eius fuerit publicum, quas ſcripſit Archi. in dicto capitu. Placuit. Si quis autem ordinatus fuerit, Epiſcopo ignorante, à clero deponendus eſt, quia ordinationis tempore non prodidit ſe fuiſſe pœnitentem, vt in Concilio Carthaginieñ. iiij. Canone lxviij. de quo in cap. Ex

pœnit

pœnitentibus. eadem distinct. Episcopus autem qui sciens ordinauerit, non manebit impunitus, quia etiam ipse ab episcopatu suo ordinandi duntaxat potestate priuatur, vt ibi. Quod intellige, quando ordinauit scienter absque dispensatione, vel cùm indiscretè dispensauit, secundum Archi. in dicto cap. Placuit. Poterit tamen Episcopus dispensare cum prædictis ad minores, non autem ad sacros: vt notat Syluest. in summa, in verbo pœnitentia, versic. Tertiò quæritur, per text. in dicto cap. Placuit. qui text. de Episcopo nihil dicit, videtur tamen probare opinionem Syluest. dum dicit, quòd propter necessitatem vel vtilitatẽ possunt inter lectores vel ostiarios deputari. Ex quibus verbis posset etiam dici, quòd Episcopus pro libito voluntatis suæ, non poterit dispensare extra dictos duos casus. Et quòd in tali casu posset dispensare, notat Arch. in dicto capitu. Placuit, referendo Lauren. & Rai. licet ipse hoc simpliciter dicat, non distinguendo inter maiores vel minores ordines. ¶ In materia insuper huius capituli, vt melius appareat, quantum impediebat antiquis illis & sanctis temporibus, quemquam promoueri ad Clericatum, quòd publicam receperit pœnitentiam, considerandа sunt verba notanda Cõcilij Toletani 4. in Canone liij. Quæ sunt tenoris sequentis: si qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum se peccatores esse prædicantes, huiusmodi si reuelauerint, possunt etiam per morum probitatem ad gradus ecclesiasticos peruenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum vel honores ec-

cleſiaſticos peruenire, nullatenus poterunt: quia ſe confeſsione propria notauerunt.}

Per ſaltum.

CAPVT XX.

CLericis prohibitum eſt per ſaltum ordines reçipere, vt in çap. Solicitudo. lij. diſtin. & in c. Vno, de cle. per ſal. promo. tenet tamen collatio ordinum præpoſterè facta, licet fieri non debeat, vt not. Abb. in dicto cap. Vno, ex text. ibi, in j. notabi. & vide Hoſtien. in ſumma eiuſdem titu. in §. j. aſſerentem quòd qualiſcunque ordo conferatur ſiue gradatim, ſiue per ſaltum, character confertur, non tamẽ executio. Quod tamen omiſſum fuit, eſt cautè ſupplendum, vt probatur in dictis iuribus. Pœna autem quam patitur recipiens ordines per ſaltum eſt, quòd interdicitur ſibi executio ordinis quem ſuſçepit, donec omiſſum ſuppleatur, probat text. in dicto cap. Solicitudo, & ibi notant Domi. & Præpo. in j. nota. Imò plus dicit Domi. ibi in vltimo nota. quòd eſt ibi argu. quòd recipiens ordinem per ſaltum videtur eſſe inhabilis, vt non poſsit ad maiores ordines promoueri, etiam poſt ſuppletionem ordinis omiſsi, niſi ſecum diſpenſetur, etiam vt maiores poſsit ſuſcipere. Et vide poſteà eundem Domi. ibi in j.q. vbi concludit poſt Archi. quòd talis non eſt ipſo iure ſuſpenſus ab ordine ſic recepto, ſed per ſententiam ſuſpendendus, quod ibi etiam ſequitur Præpo. Vide tamen eoſdem Domi. & Præpo. ibi, qui poſt Hugo. & Archi. tenent quòd ſi quis ſe faceret ordinare ſçienter per ſaltum, vel ambitionem, vel ſuperbiam, debet omnino deponi

poni,nec ſecum diſpenſaretur, vel ſaltem non de facili. Nec poteſt inſuper per ſaltum promotus in ordine ſic ſuſcepto miniſtrare ſine diſpenſatione, vt probat text.in d.c. Vno. & ibi notat Abb. in vltimo nota. Quæ diſpenſatio poteſt fieri per Epiſcopum, quando ſcienter fuit promotus per ſaltum, & non miniſtrauit, iniuncta ſibi pœnitentia,& facta cauta ſuppletione eius,quod omiſſum eſt: vt notat Hoſti. vbi ſuprà,in §.fina.& ſequitur Domi.vbi ſuprà poſt Archi. Domi. tamen refert ibi eundem Hoſtien.in d.c. Vno. tenentem in hoc contrarium, imò quòd ſcienter recipiens ordinem per ſaltum, quia dolosè offendit mentem tituli, de cle. non ordi. miniſ.& de eo qui fur.ordi.rece. dato quòd in illo non adminiſtret,cum tali ſolus papa diſpenſat.Et vide Præpo. ibi, qui eadem verba Hoſtien. refert, & addit quòd non poteſt adminiſtrare in ordine ſic ſuſcepto,& eſt deponendus.Sed ſi miniſtrauerit,credens ſe promotum fore gradatim, licet vicini contrarium aſſerãt, cùm talis fuerit promotus in minori ætate diſpenſat Epiſcopus ſecundum Hoſti. in dicta ſumma. Si tamen ſcienter promotus per ſaltum miniſtrauerit in ordine non gradatim recepto,non poteſt cum eo niſi per ſedem Apoſtolicam diſpenſari, vt per eundem Hoſti.ibi. quia incidit in pœnam tituli de cleric.non ordin.miniſ. quod ſequitur Domi. vbi ſuprà. Et vide Sylueſ. in ſumma, in verbo irregularitas. in §. Vndecimò quæritur. vbi facit bonam diſtinctionem ſequendo Hoſtien. Bonauen. Raimun. & Supplemen. & tenent contra ſummas Angelicam & Roſellam.

Furtiuè.

CAPVT XXI.

FVrtiuè dicitur quis ordinem recipere, quando ſine ordinatione & ſententia ſuperioris, & ſine examinatione quis ingerit ſe cum multitudine ordinandorum, ignorante ordinatore, & ſic ordines recipit, vt per gloſ. in c. j. in verbo, furtiuè, eiuſdem tit. & per Hoſtiē. in ſumma. §. j. & latius per Abb. in rub. eiuſdem tit. Qui autē tali modo receperit, ſi erat lata excommunicatio contra illud facientes, non poteſt in ordine ſic ſuſcepto miniſtrare, vel ad ſuperiorē aſcendere ſine diſpenſatione papæ. Si tamen excommunicatio lata non erat, Epiſcopus & Abbas poterunt diſpenſare: vt patet in cap. j. cum duobus ſequētibus eiuſdem titu. de quo per Angel. in ſumma, in verbo, irregularitas. in §. xxiij. & per Sylueſt. in ſumma, in eodem verbo, in §. Tertiò quæritur. Item nota quòd dicitur quis furtiuè ordinem recipere, quando recipit quatuor minores ordines & ſubdiaconatum in vna eadem die, vel quando recipit duos ordines ſacros ſimul, vt probatur in c. ij. & fin. de eo qui ordi. furti. ſuſcepit, & notat Hoſtien. in d. §. j.

Extra tempora & ante ætatem legitimam, & ab alieno Epiſcopo.

CAPVT XXII.

ORdinatus extra tempora ſuſpenditur, donec cum eo diſpenſetur; vt in capit. Cum quidam. de tempo. ordin. Item ordinatus ante

ante legitimam ætatem ſuſpenditur vſque ad eius aduentum, vt in cap. Vel non eſt compos. eodem tit. Non tamen eſt ipſo iure ſuſpenſus, vt notant Bernar. Rai. Guiliel. Archi. Anto. Paul. de eleazar. & Zabel. in variis locis relatis per Archiepiſcopum Florent. in iij. parte. tit. xxviij. cap. j. in fin. Ordinato inſuper ſine licentia ſui præſulis ab alieno Epiſcopo, interdicitur ordinis executio, vt in cap. Quod translationem, eodem titu. Hodie verò ordinatus aliquo de prædictis tribus modis eſt ſuſpenſus ipſo iure, & celebrans efficitur irregularis, à ſolo papa abſoluendus, & beneficiis poteſt iure priuari: vt habetur in extrauag. Pij ij. quæ incip. Cum ad ſacrorum ordinum. de qua ad iſtud propoſitum meminit celebris memoriæ doctor Hiſpanus Didacus de Villadiego in tracta. de irregularitate, in c. de ſuſpenſione. in ij. col. & refert etiam eam ad hoc Syluеſ. in ſua ſumma, in verbo, irregularitas, in §. Decimò quæritur. qui allegat regulas Innocen. viij. & Alexan. vj. Roma. Pontificum, quam etiam extrauagãtem ſeruari præcepit Leo x. in ſuis regulis Cãcellariæ, in regula xxij. incip. Item de clericis extra tempora. Et Paulus papa iij. in ſuis regulis, in regula quæ etiam incipit: Itẽ de clericis, quæ eſt xxiiij. in ordine. { Vt autem illius extrauagãtis plena notitia habeatur, libuit illam inſerere: maximè cùm ſoleat ab aliquibus referri additis quibuſdam verbis, quæ in ea non ſunt: cuius tenor talis eſt, Pius &c. Ad futuram rei memoriam. Cùm ex ſacrorum ordinum collatione character inuiſibilis animæ imprimitur ſacra myſteria diſpenſantur, vt ipſarum cura tribuatur animarum in eorum ſuſceptione exceſſus grauius tanto magis ple-

ctendi sunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur. Cùm itaque sicut fide dignorum relatione non nisi molestè accepimus, nonnulli clerici extra tempora à iure statuta quidam ante ætatem legitimam: aliqui verò sine dimissoriis literis, contra sanctiones canonicas, se faciant ad sacros ordines promoueri: Nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes, vt alij in posterum committendi similia aditus præcludatur, autoritate Apostolica præsenti constitutione perpetuò valitura statuimus, & ordinamus quòd omnes & singuli, qui absque dispensatione canonica aut legitima licentia, siue extra tempora à iure statuta, siue ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis literis, etiam citramontani à citramōtanis, præterquàm si in hoc vltimo casu per cameram Apostolicam, iuxta ipsius stylum ordinati fuerint ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, à suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint: & si huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant, propter quam vltra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas, beneficiis ecclesiasticis, quæ obtinent, possint iure priuari. Volumus autem quòd præsens nostra constitutio in Romana curia existentes post quindecim dies: Absentes verò Italicos post duos, alios autem etiam vltra mōtanos post sex menses ab ipsius in audientia contradicti & cancellaria Apostolica publicatione ac affixione ligare incipiat. Nulli ergo si quis &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominicæ 1461. quintodecimo Kal. Decembris Anno quarto. Ad-

uertendū prætereà eſt, quòd cùm nouiſsimè in concilio Tridentino (cui ego etſi indignus Epiſcopus Calagurritanus interfui) fuerit inhibitum capitulis Cathedralium eccleſiarum, ne ſede vacante licentiam recipiendi ordines concedant infra annum aliquibus, ſub pœna inibi contrafacientibus impoſita, vt habetur in ſeptima ſeſsione illius concilij in canone x. tenoris ſequentis: Non liceat capitulis eccleſiarum ſede vacante infra annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu reuerendas (vt aliqui vocant) tam ex iuris communis diſpoſitione quàm etiam cuiuſuis priuilegij, aut conſuetudinis vigore, alicui qui beneficij eccleſiaſtici recepti ſiue recipiendi occaſione arctatus non fuerit concedere: ſi ſecus fiat, capitulum contraueniens eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto: & ſic ordinati, ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo priuilegio, clericali præſertim in criminalibus gaudeant: in maioribus autem ab executione ordinum ad beneplacitum futuri prælati ſint ipſo iure ſuſpenſi. Si quis eſſet promotus ad aliquem ſacrum ordinem contra diſpoſitionem concilij, cùm ex hoc fuerit ipſo iure ſuſpenſus ad beneplacitum futuri prælati, ſi poſteà celebraret ante obtentum illius beneplacitum, eſſet irregularis: quamuis ſuſpenſionis pœna fuerit ad beneplacitum eligendi Epiſcopi, & ab illo poſſet relaxari. Cùm enim ſuſpenſio hęc ſit impoſita propter delictum (propter inobedientiam videlicet factam decreto concilij) tunc concluſio communis eſt, quòd celebrans eſt irregularis ſecundum Panor. in cap. ſi celebrat. de cleri. excom. mini. in col. fina. per text. in cap. primo, de ſenten. ex-

commu.in vj.& in cap.cum æterni.de re iudic.eod. lib. licet quidam contra tenuerint ſecundum eum. Facit quod notat Feli. in c. Apoſtolicæ. de except. col.3.& melius in col.7.nu.17. vbi ſcripſit quod ſuſpenſus ab officio celebrãs eſt irregularis ſiue ſuſpenſus ſit à canone, ſiue ab homine.allegat gloſ.ij.& iij. & ibi Paul.col.4.in cap.is cui.de ſenten.excommu. lib.6.& deciſ.Rotæ iij. in antiquis. eo. tit.} An autem promotus ad ſacros ordines ante xiiij. annum cogatur continere, ſi poſtquàm peruenerit ad ætatem legitimam vult contrahere matrimonium, vide Hoſtien.in ſumma.de cle.per ſal.promo.in §.j. in fi. qui mouet quæſtionem, refert opiniones contrarias,& in ea quam vltimo loco ſcripſit, videtur tenere quòd talis non cogitur cõtinere. Contrarium tamen videtur tenere gloſ.in cap.Vno.de cle.per ſal. promo.in verbo, diſcretionis, quæ mouet iſtã quæſtionem, vbi tamen Abb. refert Archi. poſt Hugo. in cap. Pueri.j. quæſtio.j. tenentem quòd ſi ordinatus ante pubertatem illa adueniente vult tenere clericatum,& gaudere priuilegio clericali, tunc tenetur continere,aliâs ſecus : quam opinionem approbat,& dicit hoc fuiſſe de mente Innoc. & Hoſtien. & vide Præpo.in cap.Subdiaconus.lxxvij.diſtinct. tenentem quòd Docto. communiter in dicto cap. j. notant quòd ſi factus maior contradicit non acceptans ordinem,non tenetur continere, ex quo dicit ipſe quòd reſultat monſtrum, videlicet quòd minor recipit characterem ordinis ſacri, & tamen ſi contradicat maior factus, non tenetur continere, licet Cardin.in clemen.fin.de æta.& qualita.in j.queſtio. teneat quòd ſi talis erat doli capax,tenetur contine-

re

re,per glos.in d.c. Pueri. j. quæst. j. Et idem dicit, si quamprimùm peruenit ad doli capacitatem non reclamauit,quia tunc incipit obligari. Et vide in hoc proposito quod notat Nicolaus de Millis in suo repertorio,in verbo,Clericus promotus, vbi referendo Hosti.& Inno.in c.vel non est compos.de tempo. ordi. Et Composstella. & Ioan. Andr.in c. Vnico. de cle.per sal. promo. Et in d.c. vel non est compos. & Archi.in c.Pueri.j.quæst.j.dicit quòd promotus infra pubertatem inuitus & coactus potest contrahere matrimonium,per glo.in d.c.Vnico.& quòd idē est,si non fuerit coactus, dum tamen infra pubertatem contradicat,& perseuerat in contradictione vsque ad pubertatem,vel si infra pubertatem non contradicit,& statim dum cœperit peruenire ad pubertatem contradicat:& quòd illud statim intelligitur intra triduum,& quòd aliâs non auditur, licet glos. in dicto cap. Vnico.& in d.c.vel non est compos.aliter teneat secundum eundem.

Ac simoniaco.

CAPVT XXIII.

REcipiens ordines ab eo quem scit simoniacum, non recipit executionem, cùm ordinator non habeat, nec etiam si ignoranter, nisi dispensetur cum eo.ita dicit glos.in capitu. Per tuas.lo ij. de simo.in glos.fina. in fine. Et notat Hostien.in summa, de tempo.ordin. §. A quo,versicul. Quid si episcopum. & tenent etiam Angelus & Syluest.in suis summis,in verbo, irregularitas, in versi. Septimò quæritur. Tu verò vide notabilem distinctionem,quam facit Præpo.in capit.Statuimus.lo j. in fi.

in fin. prima quæſtione prima, vbi ſecundum eum multùm refert, an quis ordinetur à ſimoniaco tolerato, quia tunc non eſt quod imputetur illi, quia licet ſciat eum ſimoniacum, debet ſacramenta ab eo recipere, niſi eſſet notorium, vel teſtibus hoc poſſet probari. An à ſimoniaco præciſo, quia ſi ignoranter ex pietate eccleſiæ habetur rata. Si ſcienter & ſponte, irrita eſt eius ordinatio. Si coactè, reus erit vſurpatæ dignitatis, ſi intra menſem cùm poterit, ad eccleſiam non redierit. Et vide Hoſtien. in dicto §. A' quo. tenentem, quòd ſi credo vel ſcio Epiſcopum ſimoniacum, non in ſuo ordine, ſed in collatione ordinis, ſeu beneficiorum, ſi poſſum obtinere quòd ab alio ordiner, hoc debeo facere, alioquin quamdiu toleratur ab eccleſia, & eſt occultus, ſecurè recipio ſi compellat me non obſtante, conſcientia repugnante.

Excommunicato.

CAPVT XXIIII.

EXcommunicati vera conferunt ſacramenta, dummodo in forma eccleſiæ gerant quod agunt, notat Hoſtien. in ſumma, de tempo. ordin. §. A quo, verſiculo, Hæc igitur. & ordinationes factæ ab eis, ſi in forma eccleſiæ fiant, ratæ ſunt, quò ad characterem, irritæ verò quò ad executionem ſecundum eum. Et vide eundem in ſumma de ordina. ab epiſcopo qui renuncia. §. fina. vbi notat, quòd ſi ſcienter quis recipit ordines ab epiſcopo excommunicato, indignus eſt diſpẽſatione. { vj. gl. in c. fi. de ordi. ab epiſcopo qui renun. epiſc. } Si ignorãter, poteſt cum eo per propriũ epiſc

episcopum dispensari quò ad executionem quam in eum non transtulit episcopus excommunicatus. Et vide Angel. in sua summa, in verbo, irregularitas. ver. xxx. incip. Septimò quæritur. & Sylvest. in sua summa, in eodem verbo, in §. Septimò quæritur, vbi tenent quod ordinatus ab excommunicato incurrit irregularitatem, & quòd si fuerit ordinatus ignoranter, dispensat episcopus tam in susceptis, quàm in suscipiendis. Si verò scienter, solus papa, & idem dicunt de ordinatis à schismaticis. Aduerte tamen, quòd si proprius episcopus fuit ordinator, tunc videtur quòd etiam cum ignorante non posset ipse dispensare, quia dispensaret super defectu proprio, & ideo etiam tunc videtur esse recurrẽdum ad papam, vel ad Metropolitanum.

Hæretico.

CAPVT XXV.

ORdinatus ab episcopo hæretico, forma ecclesiæ seruata, licet recipiat ordinis characterem, non tamen executionem, neque sacramenti gratiam recipit, Vnde tales non sunt ordinandi de nouo, sed habita dispensatione possunt in ordinibus ministrare, nisi quis ignoranter ordinetur. Si verò forma ecclesiæ non seruatur, neque ipsum characterem recipit. Probantur ista ex text. & gloss. quæ ibi notat Præpo. in cap. Qui perfectionem. j. quæst. j. Et vide Hostien. in §. A quo, suprà allegato in cap. proxi. ex quo etiam idem poteris colligere. { Et vide Inno. in c. j. de schismaticis. & in c. fraternitatis. de hæreti. num. ij. & iiij. }

Et à

Et à collatione ordinum ſuſpenſo.

CAPVT XXVI.

ORdinatus à ſuſpenſo non recipit executionem ordinis, licet verè ille det ordines, ſi ſeruat formam eccleſiæ. ita voluit Hoſtien. in ſumma, de tempo. ordi. in d. §. A quo, in d. verſicul. Hæc igitur, { Et Inno. in cap. fraternitatis. nu. 4. de hæret. } & Ang. in ſua ſumma, in verbo irregularitas, in §. xxx. incip. Septimò quæritur, quod tranſcripſit Sylueſt. in ſua ſumma, in eodem verbo, in §. Septimò quæritur.

Et qui epiſcopatui renunciauerat.

CAPVT XXVII.

SVſcipiens ſcienter ſacros ordines ab eo qui loco ſimul & dignitati epiſcopali renunciauit, executionem officij non habet, vt in cap. j. de ordi. ab epiſcopo qui renuncia. epiſc. Quando verò non ſcienter id fecerit, diſcretus pontifex poterit diſpenſare, niſi craſſa & ſupina fuerit ignorantia, vt ibi: quia tunc ſi talis ignorãtia præceſſerit, vel ſcientia, ſolus papa diſpenſat, ſecundum Abb. ibi. Si verò ignorantia eſt probabilis, inferior poteſt diſpenſare, ſecundum eum. Eſt autem probabilis ignorãtia in ordinato, quando epiſcopus renunciauit in curia, & veniens dixit, quòd non renunciauit dignitati, vel omnino tacuit renunciationem, vt notat Hoſtien. in ſumma, de ord. ab epiſcopis qui renuncia. in §. j. ver. Quid ſi à tali. per quem etiã vide quid iudicabitur in dubio, quando ſimpliciter renunciauit, de quo etiam

per

per Abb. in dicto capitu. primo. prope fin. qui referendo Philip. & Hostien. concludit quòd tunc in dubio præsumitur renunciasse loco tantùm, & non dignitati. Et vide Angel. & Sylvest. in suis summis, in verbo irregularitas, in versi. Octauò quæritur.

Suspensionis, excommunicationis, ac interdicti censura nodati.

CAPVT XXVIII.

EXcommunicatus maiori excommunicatione, vel interdictus, aut suspensus ab homine, diuina officia celebrans in ordine suo degradandus est. Hanc conclusionem ponit Hostien. in sua summa, in tit. de cleri. excom. minist. in col. j. allegando text. in cap. Latores, eodem titu. ex quo text. ibi Abb. in ij. nota. colligit argumentum, quòd omne crimen inducens irregularitatem est depositione dignum, de quo se remittit ad notata in capitu. Cum non ab homine, & in cap. At si clerici. de iudi. Suspensi verò à canone, puta minori excommunicatione nodati, vel suspensi à beneficiis, & non ab officiis celebrantes non incurrunt irregularitatem, etsi grauiter delinquant. Idem Hostien. vbi suprà, columna secunda. Et quia suspensio se habet multipliciter, vide bonam distinctionem Abb. in cap. fina. de cle. excom, depo. minis. Ex qua colliges quando suspensus celebrans sit irregularis, vel non. Et vide etiam Archi. Floren. in iij. parte, titu. xxviij, cap. j. in §. j. vbi hoc bene examinat. Et nota quòd licet irregularitas cõtrahatur in casibus ipso iure, tamen pœna depositionis qua punitur

irreg

irregularis infligitur per ſententiam, vt notat Ioan. And. in cap. iij. de cleri. excommunica. miniſ. quem ſequitur Turrecrema. in capit. Si quis epiſcopus. xj. quæſtione tertia.

Non ieiuni.

CAPVT XXIX.

SAcramenta altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrari à Carthaginienſi concilio prohibitum eſt, quod fuit tranſcriptum à Gratiano in cap. Sacramenta. de conſe. diſtin. j. Contrafacienti autem nulla ibi pœna ſtatuta fuit. Qui autem poſt cibum & potum etiam minimum diuina celebrauerit, excommunicationi ſubiacebit: { vt in cõcilio Toletano vij. in canone ij. quem retulit Gratia. in cap. nihil. vij. q. j. in §. nullus poſt cibum. Concilium tamen Bracharenſe ſecundum in Canone x. ſeuerius animaduertit diſponens, quòd presbyter in hoc delinquens cõtinuò ab officio ſuo priuatus à proprio deponatur Epiſcopo. Itẽ talis celebrans, } niſi præmiſſa dormitione, priuandus eſt beneficio ſuo, vt in capitu. Si conſtiterit. de accuſa. ſecundum Hoſtien. in ſumma, in tit. de conſe. eccle. vel alta. in §. Et qualiter ieiuno. Videtamen Cardi. in cap. Ex parte, de celebra, miſſa, in iiij. queſt. vbi dicit quòd celebrans poſt cibum vel potum poteſt deponi. allegat d. c. Si conſtiterit. & quia in illo tex. nulla fit mentio de depoſitione, intelligẽda ſunt verba Cardi. iuxta id quod notat Areti. in d. cap. Si conſtiterit. in iij. nota. dum dicit, Tertiò tenementi hunc tex. quòd ſi presbyter celebrat poſt cibũ ſumptum ante dormitionem, iſtud dicitur crimẽ graue,

& dig

& dignũ depositione à beneficio. Sed aduerte quòd ego credo quòd per illum text. non posset dari pœna priuationis beneficij clerico nõ ieiuno celebranti, quia secundum Abba. ibi post Hostien. vera causa priuationis fuit, quia ebriosus celebrauit, quod præsumitur, quia per totam noctem stetit in potatione, & mane incontinenti celebrauit. Iudex ergo attenta personæ & excessus qualitate, ac facti publicitate, pœna carceris aut suspensionis in delinquentem circa hoc poterit animaduertere. { Quia hodie seruari concilium illud Bracharense, esset nimis rigidum. } Vnum tamen nota in isto proposito, quòd somnus non est de substantia digestionis, vt quis dicatur ieiunus, sed satis est quòd sit perfecta digestio, notat Abb. in d. c. Si constiterit. circa finem. Vide Card. in d. c. Ex parte. qui dicit sufficere digestionem secundùm qualitatem cibi sumpti: & quod dicunt Physici, quòd digestio perficitur in septem horis. Credo tamen quòd istæ septem horæ computandæ sunt ab hora duodecima mediæ noctis, aliâs autem qui cœnasset hora prima vel secunda post duodecimam, non posset celebrare, etiam in vndecima ante meridiẽ, quia licet cibus sit digestus, ille tamen nõ dicitur illo die ieiunus. { Et vide gl. in d. c. Nihil. in gl. fi. volẽtẽ, q licet aliquis comederet ante mediũ noctis, & sentiret adhuc eructationes, quia nõdum est cib⁹ digestus, & quãdiu sentit cibũ, abstinebit. }

Ac in die sæpius.

CAPVT XXX.

CLERICIS in die sæpius celebrantibus nulla pœna in sacris sanctionibus constituta

eſt, ſed nec illis hoc expreſsè prohibetur. {Imò potius in cõcilio celebrato per Archiepiſcopũ Magũtinum & aliquos Epiſcopos, anno Domini milleſimo vigeſimo tertio in loco Salegunſtat in canone quinto, decretum fuit vt vnuſquiſque presbyter in die non amplius quàm tres miſſas celebrare præſumat. vnde vſque ad illum numerum licitum erat, illo tempore in partibus illis. Quod concilium habes in fine libri Decretorum diui Burchardi Epiſcopi Vuormaciẽſis qui interfuit in illo: }Iura namq; canonica ſufficere ſacerdoti vnam miſſam celebrare ſolùm affirmant, vt in cap. Sufficit. de conſe. diſtin. j. & in cap. Conſuluiſti. & in cap. Te referente. de celebra. miſſa, non tamen plures dicẽtibus pœnam aliquam comminantur: licet text. in d.c. Sufficit, in fin. verſ. dicat quòd pro pecuniis, aut ſecularium adulationibus pluries celebrans vna die non exiſtimat euadere damnationem, quòd magis æternam quàm temporalem pœnam videtur reſpicere. Sed quia tale facinus in conſpectu populi graue ſolet iudicari, ídque aliquando auaritię cauſa à pauperculis & parum doctis ſacerdotibus perpetratur, non debent Eccleſiaſtici iudices illud leue reputare, ſed attenta facti notorietate, populíque ſcandalo, perſonæque perpetrantis moribus & qualitatibus conſideratis ſic in hoc errantes corrigere, vt cæteri pœnæ metu à ſimilibus cohibeantur. Adeò enim amor viuendi in ocio, clericorum bonam partem inuaſit, vt hac tempeſtate vt laborem fugere poſsint, ſacri ordines ſuſcipiantur: euenit inſuper vt iam pauperculi ſacerdotes, eo ſolo tempore, quo ſacrificio miſſæ vacant, totius diei ſumptus neceſſarios promereri, ac

deberi

deberi ſibi contendunt, atque ob id vna ſola celebratione, pluribus qui plures eleemoſynas præſtiterunt ſatiſſeciſſe arbitrantur: quod mihi ſemper iniquum viſum eſt. Nullo enim iure, nullâque ratione aſtrictus eſt qui ſacerdotem occupat per ſpacium vnius miſſæ ad eum in ocio alendum per totam illam diem, quin potius hoc aduerſari videtur antiquis illis ſanctorum patrum decretis, quibus ſtatuerunt clericos quantumuis verbo Dei eruditos artificio ſibi victum & veſtitum quærere, artificiolóq; præter offenſam ſuæ profeſsionis debere ſibi parare veſtimentum. Vt notanter inuenies in concilio Carthaginienſi iiij. in Capitulis. lj. lij. liij. & in cap. Clericus victum. cum c. ſeq. xcj. diſtinct.

Et ſine aqua & igne, vel in pane fermentato, & calice ligneo.

CAPVT XXXI.

POENA ſic celebrantis eſt, quòd deponatur ab officio & beneficio, vt in cap. fin. de celebr. miſſa. vbi Abb. dicit quòd doctores non exprimunt, an debeant concurrere omnia ſuprà dicta ad hoc vt presbyter deponatur, & quòd credit ipſe procedendum ſecundùm qualitatem loci, & contemptum presbyteri conſiderandum an habuerit illud in conſuetudine.

Et ſuper altari non conſecrato.

CAPVT XXXII.

DIE quidem ab Eccleſia conſtitutum eſt, quòd Euchariſtiæ ſacramẽtum non niſi ſuper conſecratum altare celebraretur, non autem contrafacienti ſacerdoti pœna deſcripta reperitur: vnde Card. in d. c. fin. de celebra. miſſa, meritò quæſtionem mouet. Si quis celebrat ſuper altari non conſecrato, qua pœna ſit puniendus? & dicit quòd ſi ex malitia, vel nimia deſipientia, punitur pœna illius text. quam in c. præcedenti deſcripſimus, & hoc propter identitatem rationis, & vlterius procedendo dicit, quòd idem videtur in omnibus aliis exceſsibus commiſsis circa cultum ſacramẽtorum. Poſtremò tamen dicit quòd quia pœnæ ſunt reſtringendæ, locus erit pœnæ arbitrariæ: & hoc credit verius, niſi tanta eſſet identitas rationis, quòd poſſet eſſe locus pœnæ illius text. & in propoſito huius c. vide text. in c. Nullus { preſbyter. lo ij. } de conſecr. diſtinct. j. qui dicit, quòd nullus presbyter in Eccleſia conſecrata aliud altare erigat, niſi quod ab Epiſcopo loci fuerit ſanctificatum vel permiſſum: & ſi clericus contrarium fecerit, degradetur: quod ego intellige-rem, quando clericus erigeret illud tanquàm conſecratum, & vt in eo celebraretur ſine aliqua ara cõ-ſecrata.

Sinę

Sine orario ſeu ſtola, & alijs veſtibus ſacris.

CAPVT XXXIII.

SACERDOS cùm ad ſolennia miſſarum accedit, non aliter accedere debet, quàm orario vtroq; humero circunſeptus, ſicut tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus, ita vt de vno eodémq; orario ceruicem pariter & vtrunq; humerum premens, ſignũ in ſuo appareat pectore crucis. ita diſponit concilium Bracarenſe {tertium, in Can.iij.} quod tranſcriptum eſt in c.Eccleſiaſtica.xxiij. diſtinct. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubiacebit: vt ibi, de quo text. meminit Durand. in Rationali diuinorum officiorum. c. de ſtola, vbi dicit ꝙ fortè quis diceret illud decretum eſſe abrogatum per contrariam generalis Eccleſiæ conſuetudinem: nam nõ vbiq; partes ſtolę reducuntur ante pectus in modũ crucis. In his tamẽ regnis conſuetudo ſeruat decretũ illius concilij: & licet ille tex. ſolùm de orario ſiue de ſtola diſponat. Si clericus ſine caſula, aut aliis veſtibus ſacris celebraret, nihilominus puniendum credo ſuperioris arbitrio. Et aduerte ꝙ dum text. in d.cap. Eccleſiaſtica. dicit quòd clericus propter hoc excommunicationi ſubiaceat, exponit ibi Archidia. dupliciter, Primò ſi admonitus non vult ceſſare. Secundò excommunicationi, id eſt ſuſpenſioni ad tempus pro arbitrio iudicis, cùm ibi non determinetur tempus: & hanc ſecundam expoſitionem credo veriorem.

Ac in priuatis locis sine Episcopi licentia celebrarunt.

CAPVT XXXIIII.

SIC VT non alij quàm sacrati Deo sacerdotes debent missas celebrare, nec sacrificia super altare offerre, sic non in aliis quàm in domino consecratis locis, id est, in tabernaculis, diuinis precibus à pontificibus delibatis, missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coëgerit necessitas. verba sunt singularia text. in cap. Sicut. de consec. distin. j. Et in concilio Triburiensi, de quo in c. seq. disponitur, quòd missarum solennia non nisi in locis ab episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit celebranda sunt: idē etiam disponitur in cap. Hic ergo, eadem distinct. quæ iura sacerdotibus contrarium facientibus pœnam non statuunt. text. autem in cap. Nullus presbyter. el j. eadem distin. idem prohibet illis, qui de cætero participes voluerint esse sacerdotij. per quæ verba videtur comminata talibus pœna amittendi participationem sacerdotij. { Facit etiam cōcilium Carthagi. secundum in Canone ix. vbi ita disponit, Quisquis presbyter inconsulto Episcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo sibi cōtrarius existit. } Sexta autem synodus de qua in c. Clericos, ea. distin. dicit, Clericos qui ministrāt in oratoriis quæ intra domum sunt cum consensu episcopi loci hoc facere præcipimus. Si quis verò hoc non obseruauerit, deponatur. Vnde fortè sumpta occasione acerrimam pœnam talibus imponendam scripsit lex nostri regni, videlicet quòd clerici

qui taliter celebrant, deponantur, & in perpetuũ car cerem damnentur. ita diſponit Lex iiij. tit. x. parti. j. de qua nempe grauitate pœnæ ſummè mirandũ eſt, cùm hoc iure canonico non ſit expreſſum, párq; per hoc fiat delictũ hoc pluribus aliis grauiſsimis, pro quibus pœna ſimilis imponitur. At ne quiſquã ſibi ſuadeat hoc non eſſe tam graue iudicãdum, ex eo q̃ pium & Chriſtianũ videatur, vbi libet velle videre corpus redemptoris noſtri, & quia plures propter hoc ſæpius audiunt miſſam, qui aliâs non audirent: nam contrarium apertè dicit text. in d.c. Sicut. per hæc verba, Satius eſt enim miſſam non cantare, vel audire, quàm in his locis vbi fieri non oportet, niſi pro ſumma neceſsitate contingat. Quis enim dubitat antiquos illos ſanctiſsimos Eccleſiæ patres plus dilexiſſe quàm nos redemptorem noſtrum, eiúſque aſpectu delectari magis, & flagrare deſiderio, & tamen non niſi in eccleſiis illum videre, ſeu ſi ſacerdotes erant in eis tãtummodo de cœlo illum ad manus proprias (admirandis illis conſecrationis verbis) aduocare audebant. Nos verò ad cubicula ſeu cœnacula noſtra illum quotidie trahimus, nulla neceſſitate vrgente, ſed aut deſidia quadam ad eccleſiam eundi, aut ſuperbo quodam faſtu, quaſi iam parũ ſit ſolis hominũ obſequiis coram hominibus venerari, niſi etiam inter noſtram mundi pompam connumerare liceat, quòd adhuc ipſe filius Dei ad domus noſtras nobis miniſtraturus accedit. Ad domus inquam, ludis, blaſphemiis, ebrietatibus, ac luxuriæ actibus obſcœnis ſæpiſsimè violatas, cùm Eccleſias ſanctas Dei ſola vnius coniugalis actus pollutio ſi ne peccato facta cõtaminet, { vt per Sylueſt. in ſum-

ma,in verbo consecratio,lo ij.§.Quintò quæritur, vers. Tertius casus. } Si honorabilior nobis aliquis ad nos accedere vult, summũ dedecus arbitramur, si nõ præueniamus eundem ad eius hospitium euntes. At quem credimus Deum,quem confitemur redemptorem, quem tremendũ iudicem expectamus, angelicis constipatum choris ad sordida nostra receptacula non modò venire permittimus, sed, si fas est dicere, compellimus. Aduertant quæso vniuersi Christiani, & tempestatis huius calamitatem considerent,& aliqua Germaniæ oppida tam cœlesti hoc munere (corpore videlicet filij Dei) orbata cognoscãt, quum in omnibus retro actis seculis nusquàm id contigisse legamus: quàmuis Deus ipse summus plures hæreses in sui offensam prædicari & recipi permiserit, & ꝙ hoc miserrima nostra ætate successerit, ad irreuerentiã erga dominic ũ corpus referamus. Constat enim nusquã sacerdotes maiori habitos cõtemptui, & Eucharistiæ donũ maiori ingratitudine susceptũ, & irreuerentia tractatum fuisse. Timeántque qui talia contemnunt, tam graue Dei subire iudicium, tantíq; muneris priuationẽ sibi & posteris promereri. Satis enim securi viuebãt (paucis elapsis annis) qui talem nunc patiuntur animæ morbũ, & salutis æternæ dispendiũ. Vt autẽ magis pudeat Christianos hanc redẽptori suo irreuerentiã facere,legãt obsecro Æmilium Probum in vita Alcibiadis scribẽtem, aspersum fuisse infamia ꝙ in domo sua facere mysteria dicebatur, quod nefas erat more Athenienſiũ. Et si inter Ethnicos(qui lapidibus & dæmonibus immolabant pecudes) nefas esse hoc domi agere ppẽderint, quàm sit indecẽs intelligant

gant omnipotẽti Deo patri, & creatori omniũ vnigeniti filij ſui Saluatoris noſtri corpus & ſanguinẽ virgineis viſceribus compactum, cum ipſa diuinitate vnitum in impuris domibus offerre. Ad tantæ igitur irreuerentiæ damnum minuendum, oporteret epiſcopos omnes deprecari ſummum Pontificem, vt altaris portatilis facultates nullatenus concederet, & conceſſas reuocaret, ac interim in ſuis diœceſsibus prohiberet, ne quiſquam ſacerdos in priuata domo celebraret, niſi prius decentia loci per eos, aut ſuos vicarios examinata fuerit, dum tamen hoc in iudicum ſeu notariorum lucrum non cedat. Prohibere inſuper, ne ornamenta eccleſiarum alicui extra illas commodentur. Deceret inſuper ipſóſq; præſules ad aliorum exemplum nunquàm niſi in eccleſiis celebrare, aut miſſam audire, nam ipſis etiam epiſcopis in domibus nullatenus licere celebrare, diſponit text. prædictus in c. Sicut. {quod ante diſpoſuerat Concilium Laodicenſe, Can. viij. in hæc verba, videlicet, Non oportet in domibus oblationes ab Epiſcopis ſiue presbyteris fieri.}

Miſſamq; pro requie defunctorum promulgatam, pro viuis celebrarunt hominibus, vt illi mortis incurrerent periculum.

CAPVT XXXV.

POena huius criminis eſt, vt talia perpetrãtes à proprio ordinis gradu deponantur, & exilij perpetui ergaſtulo relegentur, vt cautum eſt in concilio Toletano, quod refertur in cap. Quicunq; ſacerdotũ. xxvj. quæſt. v. de quo tex.

meminit Hoſtienſ.in cap.fina.de ſortile.& ibi Ioan. de Ana.in fine.meminit etiã Paul.Grillandi in tract. de ſortilegiis,in xiiij.quæſtio.& in xvij. & habetur ille tractatus & alij ſui in iiij. volu. tractatuum huius nouæ impreſsionis, in qua fuerunt redacti plures tractatus ad volumina decẽ. Et quia Gratianus refert breuiter verba illius cõcilij Toletani, Si quis cupiat illud originaliter legere, inueniet in ſynodo xvij. Toletana celebrata Era.Dccxxxij.in c. vj. ſub rubr. de his qui miſſam defunctorum audent pro viuis maleuolè celebrare. Quæ ſynodus hucuſque non eſt impreſſa.

Euchariſtiam ob ebrietatem ac voracitatem euomuerunt.

CAPVT XXXVI.

CLERICI vel monachi,ſeu diaconi,preſbyteri quibus tale contigerit, lxx. diebus debent pœnitere, vt in cap. Si quis per ebrietatem.de conſe.diſt.ij. vbi vide Card.de Turrecremata,qui dicit quòd conſiderata cauſa vomitus,quæ ponitur in tex.ſcilicet ebrietate & voracitate,& circũſtãtiis,nõ videtur quòd pœna taxata excedat,& ideo ſecurè iniũgenda eſt.Cùm autem text.non aperiat qualitatem pœnitẽtiæ,quæ debet fieri in illis diebus,videtur relicta arbitrio iudicis. Ratio huius pœnæ eſt,quia ſecundùm veriorem & ſecuriorem opinionẽ quandiu ſpecies ſacramẽtales remanent in ſuo vero eſſe,ſub eis conſiſtit inſeparabiliter corpus Chriſti,& ſic ſi prædictæ ſpecies eiiciuntur per vomitũ,ipſum corpus ſimiliter eiicitur: quẽm ſequitur Cardin.vbi ſuprà, quem etiam vide in §.

in §. final. dicentem quòd tunc si species euomitę discerni possunt, & sunt sumptibiles, debent exsiccari & sumi per se, si potest fieri, vel cum vino vel alio liquore. Si non sunt sumptibiles, tunc reponantur in aliquo honesto loco iuxta altare. Si species non possunt discerni, præsumuntur digestæ, nisi statim sint euomitæ, quo casu reponuntur in aliquo honesto loco. { De quo etiam vi. per Sylvest. in Summa verbo Eucharistia. lo ij. §. Nono quæritur. versiculo Quartum. }

Ac ob negligentiam ipsorum aliquid sanguinis stillauit in terra & in altari.

CAPVT XXXVII.

POena huius excessus ponitur in cap. Si per negligentiam. de conse. distinct. ij. per hæc verba, Si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram, lingua lambatur, tabula radetur, si non fuerit tabula, vt non conculcetur, loradetur, si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus, conradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare condatur, & sacerdos xl. diebus pœniteat, si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super lintheũ altaris & ad aliud stilla peruenerit, iiij. diebus pœniteat, si vsque ad tertium, ix. diebus, si vsque ad quartum, xx. diebus pœniteat: & lintheamina quæ tetigerit stilla tribus vicibus minister abluat calice supposito, & aqua absolutionis sumatur, & iuxta altare recondatur. Quæ pœna cùm sit canonis antiqui, & quę magis videtur pœnitẽtiæ foro, quàm iudici

diciali prouidere, si casus occurrerit, & in iudicium deducatur, tunc iudex attenta facti qualitate & astantis populi noticia vel scandalo, & sacerdotis culpa vel negligentia pœna moderabitur vel augebitur, prout æquius sibi visum fuerit.

Aliquotiens insuper celebrando corpus & sanguinem domini non percipiebant.

CAPVT XXXVIII.

HOc enim licet temporibus nostris rarò accidat, quia semper qui celebrat saltem publicè, sumit corpus & sanguinem domini, Concilio tamen Toletano xij. quod habetur de conse. dist. ij. c. Relatum, cautum est, quòd quicunq; sacerdos diuino altari sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter priuauit gratia cõmunionis, anno vno repulsum se nouerit.

Super rebus aptis ad faciendum sortilegia, & ad illum effectum vnam vel plures missas scienter celebrarunt, adhibitis nefarijs precibus & verbis superstitiosis.

CAPVT XXXIX.

QVAM graue sit rebus sacris vti ad committenda scelera, nemo non nouit: & si hoc in quocunque grauiter puniendum est, quantò magis id faciendum erit, si talia perpetrans, cultui ac ministerio sacrarum rerum est ordinatus? Vnde sacerdos qui in hoc

deliq

deliquerit,deponi debet ex ſententia Pauli Grillandi in tracta.de ſortilegiis.{ quod eſt volu. v. tracta. diuerſor.doctor.}in quæſt.xiiij.qui etiam deſcribit aliquas res ſuper quibus ſolent prædictæ miſſæ celebrari ad dictum effectum,mouetur per tex. in cap. Si quis epiſcopus.xxvj.quæſt. v. qui hoc non probat,quia nihil de hoc delicto dicit,nec imponit pœnam depoſitionis. Mouetur etiam argumento text. in cap.Quicunque,eadem cau. & quæſt. qui leuius crimen graui pœna caſtigat.Et dicit tandem quòd quidam dixerunt eſſe pœnam arbitrariam:quod dicit tolerari poſſe, quando factum non eſſet valde turpe,vel perſona ſacerdotis ſimplex.{ Et vi. Abba. in c. quidam. ad finem. De celebra. miſſa. vbi dicit quòd ſacerdos miſſam celebrans,vt Deus perdat aliquem, licet cõficiat,debet hoc comperto deponi: quia abutitur tanto Sacramento. Superſtitioſum au tẽ clericũ deponendũ & in monaſterio detrudendũ dicit Sylueſt. poſt Hoſtiẽ.in locis per eum relatis in ſua Sũma verbo,ſuperſtitio,§.vndecimò quæritur.}

In cuſtodia Euchariſtiæ deſides.

CAPVT XL.

HVIVS deſidiæ pœna ex diſpoſitione cõcilij Arelaten. de quo in c. Qui bene. de conſec.diſtin.ij.talis eſt, quòd qui bene non cuſtodierit ſacrificium, & mus vel aliquod aliud animal illud comederit,xl.diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in eccleſia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, xxx. dies pœniteat. Nouiſsimè autem taliter delinquentes ab officio tribus menſibus ſuſpenduntur, vt in c.j. de cuſt

de cuſto. Euchariſtiæ. Grauiori pœna puniendi, ſi aliquod nefandum inde contigerit, quæ videtur relicta iudicis arbitrio, argumento text. in cap. de cauſis. de offic. deleg. Quali autem decentia ſeruari debeat Euchariſtia, bene ordinauit Honorius iij. in cap. Sane. de celebra. miſſa. ſub talibus & notandis verbis: Ne propter incuriam ſacerdotum diuina indignatio grauius exardeſcat, diſtrictè præcipiendo, Mandamus quatenus à ſacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari, mundo, & ſignato ſemper honorificè collocata, deuotè ac fideliter conſeruetur.

Commendatúmque ſibi infirmum baptizare noluerunt.

CAPVT XLI.

PResbyter qui in prouincia propria, vel alia, vel vbicunque inuentus fuerit, commẽdatum ſibi infirmũ baptizare noluerit pro intentione itineris, vel aliqua excuſatione, ſi ſine baptiſmo moritur, deponendus eſt, ex decreto Martini papæ, in c. Quicunque. de conſe. diſtin. iiij.

Beneficia plura poſſident.

CAPVT XLII.

HABERE plura beneficia inter crimina referre volui: quia licet in noſtris temporibus non modò non iudicetur criminoſum, verùmetiam is ſapientior habeatur, maioríque dignus honore qui plura beneficia aggregare, & acquirere ſciuerit: hoc perniciоſiſsimum Chriſtianæ reipublicæ, eccleſiæque vniuerſalis ſtatui, animarúmque ſaluti fore cenſeo. Idq;

ratio

rationi naturali obuiare, ac ſanctis eccleſiæ conſtitutionibus, pluriúmque ſanctorum doctorũ opinionibus contradicere. Quid enim rationi naturali aduerſum magis, quàm quòd vnus & idem homo varia eccleſiæ ſtipendia in variis & diſtantibus ſæpe locis, & quibus varia incumbunt onera, in ſeïpſo ſuſcipiat? Quæ eſt enim humana reſpublica quæ ſuos iudices, rectores, tabelliones, & alios officiarios ſtipendiis in abſentia frui & vagari permittat? Quis in ſua quantumuis ampla & ditiſsima domo, vni miniſtro abſenti ſalaria plurium miniſtrorum perſoluit, ac ab eo quoſcunque ſuo nomine ſubrogatos admittit? Sola domus Dei eccleſia ſancta tali inordinatione ſuo priuatur miniſterio, ac debitis fraudatur obſequiis. { Vnde veriſsima ſunt beati Bernardi verba in declamatione ſuper euangelio: Dixit Simõ Petrus ad Ieſum. in col.lj.dũ dicit quòd ſola bona domini ex omnibus hodie inueniuntur expoſita. } Quid debet eccleſia Dei plurium nobiliũ vanitati, vt patrimonio Ieſu Chriſti dilectiſsimi ſponſi ſui, quod flagellis, alapis, ſanguinis effuſione quæſiuit, eorũ alat accipitres, educat canes, ſaginet equos, nutriat lenones ac ſeditioſos homines qui paſſim rempublicam turbent? Quid nempe debere poteſt pluribus aliis ruſticorum filiis, ac ſuis parentibus indoctioribus, à quibus ſolũ (immò vix) aratra & boues in ſucceſsionem habere potuerunt, qui illicitis mediis plura occupant beneficia, vt cum illis amplam ſibi parent ſupellectilem, varios aptent cibos, ac pro pluribus illicitis ſumptibus pecuniã habeant? Quid deniq; eccleſia eadem, quantũuis peritiſsimis ac literatiſsimis viris debere iudicabimus,

vt be

vt beneficiorum congerie ſuæ ambitionis inſatiabilem ſitim extinguere debeat, præcipuè his qui doctrina ſua nunquàm eccleſiæ catholicæ profuerunt, nec prodeſſe curant? Dic mihi quicunque es, quantacunque polleas eruditione, an eo ſolo quòd vigilias ſuſtinueris, ſtudio vacaueris, tibi aſtricta eſt eccleſia Dei, vt te in ſtatu grandi, ac pompa magna ſuſtineat? Vidiſtíne aliquando artificem aliquem eo ſolo quòd artem didicerit optimè à Reip. alimenta ſuſcipere? An ex eo quòd arte ſua Reipub. vtilis eſt? Quid igitur tibi ſuades, eò quòd ſtudueris licere tibi plura eccleſiæ beneficia retinere, cũ nec vnius eorum onera ſubeas? Aduerte quæſo, quòd literatis viris non plura beneficia, ſed maiora concedi ſanxerunt Canonica iura. Si quando verò vt plura habeant beneficia cum peritis diſpenſare conceditur, ob eccleſiarum vtilitatem, non eorum, id effici debet. Quid enim prodeſt ſtudium tuum eccleſiæ ſanctæ, ſi id ſolùm operatur, vt plura occupes loca in quibus plures poſſent eidem deſeruire, qui ſufficienti peritia, & maiori charitate ſeu virtute iniuncta onera ſubirẽt? Quid prodeſt illi doctrina tua, ſi oues Chriſti tibi commiſſas, imperito mercenario cum tenui ſalario paſcendas committis? Quis ergo inficiabitur hoc aduerſari naturali rationi, ſi eadem ratione non caret? Quod nempe apertiſsimè comprobant leges antiquæ gentilium (qui ſolo naturali lumine regebantur) in quibus prohibitum erat expreſsè, vt apud eos non eſſet vir duplex, aut multiplex, ſed quòd ſinguli ſingula facerent, vt in Socraticis legibus cauebatur. Confirmant hoc etiam notanda verba Iuſtiniani, in l. Nemo. C. de aſſeſſo. dum

dicit,

dicit, Neque enim facilè credendum est duabus necessariis rebus vnum sufficere: Quódque id sanctis obuiet canonicis institutis, apertè monstratur. Primò quidem cõtrarium dispositum est in vij. Synodo, vt refert Gratianus in c.j. xxj.quæst. j. vbi dicitur, Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesiis, negociationis enim hoc est & turpis lucri proprium commodum. Statuit hoc etiam sancta vniuersalis ecclesia spiritusancto congregata in concilio illo Calcedonen. celeberrimo à sexcẽtis & triginta episcopis celebrato, in c.x. illius concilij, vbi definitum est non licere clericis in ecclesiis duarum ciuitatum ordinari. Si quis verò iam translatus est ab alia in aliam ecclesiam, nihil habeat cõmune cum priore. Illos verò qui ausi fuerint post ordinationem illius vniuersalis synodi agere contrariũ, statuit sancta synodus cadere à proprio gradu. De qua decisione cõcilij breuiter meminit Gratianus non referendo dictæ pœnæ appositionem in c. Clericum. xxj. quæst. j. Hoc præterea aduersatur dispositioni concilij Placentini per Vrbanum papam celebrati, de quo in c. Sãctorum. lxx. distin. vbi hæc pluralitas beneficiorum prohibita est, per hæc verba, Omnino autem in duabus ecclesiis aliquem intitulari non liceat. Hoc etiam improbat Toletanum concilium, de quo meminit Gratianus in c. Vnio. x. quæst. iij. in vers. Sed & hoc, per hæc verba, videlicet, Sed & hoc necessarium instituere duximus, vt plures ecclesiæ vni nequaquam committantur presbytero, quia solus per totas ecclesias nec officiũ valet persoluere, nec rebus earum necessariam curã impendere. { Cuius concilij verba originaliter legere

deſiderans inueniet in concilio Toletano xvj. celebrato ſub principe Flauio Egicano anno vj. ſui regni à ſexaginta & vno epiſcopis, in c. de reparatio. Eccleſi. præcipuè, quia paucula etiam verba & vtilia in hoc propoſito trãſcribere neglexit Gratianus quod tamen concilium hucuſque non habetur impreſſum. } Celebre etiam illud Lateranenſe concilium cui Alex. tertius interfuit, de quo in c. Quia in tantũ, de præb. Præbendarum multitudinẽ Canonibus inimicam, materiam diſſolutionis & euagationis inducere, ac certum periculum animarũ continere expreſsè atteſtatur : { Prohibuit hoc etiã Alex. ſecundus, qui diſpoſuit quòd nullus presbyter habeat duas Eccleſias, vt in cap. per laicos. xvj. q. vij. } Vnde dicit Abb. in c. Cõquerente. de cler. non reſid. in iij. nota. allegando glo. in c. Dudum. el ij. de elect. in verbo intitulatam, ꝙ ſine peccato mortali nõ poteſt quis habere plura beneficia, quando alterũ per ſe ſufficit. Et vide etiã Ioan. de Lignano in tractatu de pluralitate beneficiorũ, maximè in col. ij. vbi concludit quòd de iure cõmuni vnus non poteſt habere duos titulos beneficiales eccleſiaſticos extra caſus in iure expreſſos, & adducit optima fundamenta in propoſito. Extant inſuper ſanctorum ac grauiũ virorum cõmentaria, quibus hanc pluralitatẽ beneficiorũ damnant, eámq; animabus periculoſiſsimam eſſe demonſtrant optimis ac vrgentibus rationibus, quas hîc tranſcribere nolo: patent enim volentibus legere eas in tractatu contra pluralitatẽ beneficiorum, quem edidit ſingularis vitæ, ac magnæ doctrinæ vir Diony. Cartuſien. præ maximè in vij. articulo vſq; ad totum xj. Poſuit etiam aliqua notanda in

prop

propoſito alter Cartuſienſis antiquior Dionyſio in lib.ſuo de vita Chriſti, in c. lxviij. de ambitione, & quibuſdam aliis defectibus clericorum. Firmat hoc etiam apertè diuus Bernardus in epiſt. cclxxj. ad Comitem Theobaldũ, vbi tradit honores & dignitates eccleſiaſticas debere dari iis qui eas dignè ac ſecundum Deũ adminiſtrare velint & poſsint. Neq; licere cuiquam habere plures in pluribus eccleſiis, niſi diſpẽſatoriè ob magnam vel eccleſiæ neceſsitatem, vel perſonarũ vtilitatem. Et vide in propoſito beatũ Thomam in quolibe. ix. in artic. xv. Ioan. Maioris in iiij. diſt. xxiiij. in q. vj. & vij. vbi inter alia cõcludit quòd tenens plura beneficia cũ diſpenſatione, in qua non eſt rationabilis cauſa diſpenſandi, nõ eſt in ſtatu ſalutis. { Et vi. Feli. in c. j. nu. xxx. de cõſt. vbi dicit ꝙ licet Papa habeat poteſtatẽ diſpẽſandi in omnibus ſtatutis Eccleſiæ, ſola volũtate tamẽ illud intelligitur, niſi lex poſitiua habeat in ſe quãdã rationem diuinã vel naturalem, vt eſt lex prohibẽs pluralitatẽ beneficiorũ, illic Abb. & alios. } Scripſit etiã aliqua Gabriel in expoſitione Canonis, in lectione xxviij. in duabus vlt. col. vbi etiam oſtẽdit quomodo diſpenſatio Papæ in hoc nõ ſuffragetur, niſi fiat ob neceſsitatem vel vtilitatẽ eccleſiæ. Et vltra opiniones grauiũ & ſingulariũ doctorum in iſta materia miracula quædã referuntur per ſuprà dictos doctores Cartuſien. per quæ periculum habentiũ plura beneficia dignoſcitur, quæ quidẽ à Chriſtiano viro contemnẽda non ſunt. Nec enim æterna ſalus propter delicatiorẽ victũ, & ornatiorem veſtitum, ſeu ampliorẽ familiam, in dubio ponẽda eſt: eſſetq; conſentaneũ, vt ſicut patimur ob ſolam opinionẽ eorũ

qui medicinam ſcripſerũt, ſanguinẽ minui, pluráq; alia nobis inſipida & ſatis faſtidioſa propinari, ne ſalus corporis pericliretur (cùm ſæpius eueniat ipſis Medicis ſcriptoribus, aut aliis viuis qui ipſorũ opinionem in nobis experiuntur, errantibus, nõ ſolùm non liberari à morbo, ſed eadem phleborotomia qua ſanari credebãt, mori ac periclitari infirmos) ſic ſequendo opinionẽ ſanctorũ, vel inſigniũ doctorum ob ſalutẽ animæ pecunias minui, aliquáq; & ſi corpori moleſta, tolerare. Cùm ex hoc nullũ nobis corpori nec animæ timeri poſsit periculum, ſed animæ poſt obitũ, & corpori poſt reſurrectionẽ certior & ſecurior ſalus æterna promittatur. Relicta igitur animæ pœna ſupremo illi mortuorũ ac viuorũ iudici, qui ſolus intelligit delicta cunctorũ: prima pœnarũ quæ ſe offert in huius ſeculi cõtẽtioſo foro eſt, ꝙ habens plura beneficia, quàmuis ſimplicia, quorũ alterũ ſufficit per ſe ad vitã beneficiati, poteſt legitimè altero priuari. hoc probat tex. in c. Conquerẽte. de cler. nõ reſid. ſecundùm Abb. ibi, in iij. not. quod dicit valdè notabile, & nunquàm obliuioni tradendum, & dicit eſſe caſum ſolennẽ priuandi aliquẽ beneficio ſuo, licet velit in eo reſidere. Iuſtiſsima quidem eſt pœna iſta, licet his tẽporibus infelicibus inuſitata, nõ quia vires amiſerit, ſed ex negligẽtia aut auaritia ſuperiorũ, quorum aliqui in ſacrorũ Canonũ executione torpeſcunt, reliqui verò cùm plures eccleſias epiſcopales ſimul aliquando, aut cũ vna epiſcopali plura alia beneficia retineant, ſuíq; officiales aut habeant aut ambiãt plures dignitates ſiue beneficia, auaricia cæci aliorũ cupidinẽ (& ſi eccleſiis, clero ac diuino cultui pernicioſam) refrenare non

non ſatagunt. Secũda eſt quæ in Concilio generali ſtatuta fuit, vt habetur in c. De multa, de præb. cuius verba ſunt. Quicunq; receperit aliquod beneficium curã habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit ipſo iure priuatus, & ſi fortè illud retinere cõtenderit, etiã alio ſpolietur: is quoq; ad quẽ prioris ſpectat donatio, illud poſt receptionem alterius liberè conferat, cui meritò videbit conferendum. Et vlterius decernit text. idem eſſe obſeruandum in perſonatibus. Fuit etiã extenſa pœna iſta per iura Sexti & Clementin. primò ad regulares dignitates, vt in c. Cum ſingula, de præb. libr. vj. Secundò ad prioratus, vt in clem. j. de ſupplenda neglig. præla. Tertiò ad vicarias perpetuas eccleſiarum parochialium, vt in Clem. vnic. de offic. vicar. Aduerte tamen q; ſi alicui conferantur duo curata ſimul & ſemel, tũc datur ſibi optio ſecundùm Abb. ibi, col. iij. verſic. In ea gloſ. licet alij ſecundùm eum tenuerint quòd nõ valet collatio. Quando verò aliquis calore iracũdiæ reciperet ſecundum beneficiũ curatum, non vacaret primum, ſi incontinenti pœnituit eum, ſecundùm eundem ibi. d. col. iij. verſic. Extra caſum. Pœna verò iſta vacationis primi beneficij non vendicat ſibi locũ, niſi poſt habitã poſſeſſionem pacificã ſecundi beneficij. ita credit Abb. indiſtinctè vbi ſuprà, col. iiij. verſ. in ea glo. Sed hæc quidem pœna de qua in d. c. De multa, nouiſsimè & ſingulari zelo adaucta eſt per Ioan. xxij. in ſua Extrauaganti Execrabilis. quæ ſub tit. de præb. collocata eſt, in §. qui verò. vbi cauetur quòd qui receperint deinceps dignitatem vel perſonatũ, ſeu officiũ, aut aliud beneficium animarũ curam habens anne-

xam,si anteà habebat aliud simile beneficiũ, si illud primum (quo noscitur esse priuatus ipso iure, postquàm habuerit possessionẽ secundi, vel per eum steterit quòminus habeat omni fraude & dolo cessantibus) non dimiserit in manibus ordinarij absque moræ dispendio verbo & facto sine fraude, & sub publico testimonio, ipso iure & extũc est priuatus dicto secundo beneficio quod recepit, & quod durius est, reputatur inhabilis ad sacros ordines suscipiendos, & ad habendũ quodcunq; beneficiũ ecclesiasticum, quas duas pœnas inhabilitatis ad ordines sacros & beneficiũ incurrit etiam ipso facto: vt voluit ibi glo. Zenze. in verbo ipso iure. in fin. verbis. {Et vide quatuor requisita vt procedant pœnæ dictorũ iuriũ, videlicet c. De multa. & extrauagantis execrabilis. per Staphileũ in tract. de gratiis expectatiuis, in tit. de qualitate & statu benefi. in §. quartò requiritur. vsq; ad §. iiij. & vlti. & habes nunc illũ tractatum in tomo quarto sexdecim voluminum impressorum Venetiis.

Quorum aliqua patres eorum nullo mediante possederunt.

CAPVT XLIII.

ADEO enim sacrorũ canonũ conditores successionẽ seu hæreditarium ius in ecclesiis Dei abhorruerunt, vt Innocẽtius Papa II. apostolica autoritate prohibuerit, ne quis ecclesias, præbẽdas, præposituras, capellanias, aut reliqua officia hæreditario iure valeat vendicare, aut expostulare præsumat, statuens quòd si quis improbus aut ambitionis reus hoc attentare præsum

præsumpserit, debita pœna mulctaretur, & postulatis careret, vt habetur in c. Apostolica. viij. q. j. Si verò aliquis ista contemnens adhuc in ecclesia in qua pater eius ministrauit, instituatur, pœna eius est vt ab ea amoueatur: vt statuit Alex. tertius in cap. Ad præsentiam. cum duob. seq. & in c. Quoniam. & in c. Ad extirpandas. de fil. presbyt. nisi media intercesserit persona, vt in d. c. Ad extirpandas. & in cap. ex transmissa eo. tit. Aduertẽdum præterea est quòd licet isti clerici cõtra quos hæc denunciatio facta est dicantur esse illegitimi, tamen quò ad nostrũ propositum, etiam si quis sit legitimus nõ potest succedere patri in beneficio quod ipse possedit nulla persona mediante, vt per glo. Archi. Domi. & Præpo. in d. c. Apostolica. & probat etiam text. quem ibi dicit ad hoc casum expressum Anto. in v. not. in d. c. Ad extirpandas. & notat Anto. post Host. in c. Ad hæc. eo. tit. { & Dec. in c. inter cęteras. col. ij. nu. iiij. de rescr. vbi in hac materia bene loquitur. } Differunt tamen in hoc proposito quò ad aliũ articulum: q illegitimus filius nõ potest præfici in ecclesia in qua præest pater de præsenti, vt habeat alium canonicatum vel prębẽdã, licet possit eo mortuo habere, dũ nõ succedat in beneficio paterno: legitimus verò potest instituti in ecclesia in qua pater præest etiã eo viuo in diuerso beneficio, vt not. in d. gl. & per Domi. & Præpos. ibi. Si autẽ isti immediatè succederẽt in beneficiis filiorũ suorum, non priuarentur eis, cùm nõ reperiatur prohibitum patrem filio succedere in hoc casu, prout communiter in hoc resident Doct. in d. c. ex trãsmissa. vt Præpos. asserit in d. c. Apostolica. licet contrarium tenuerint Hostien. & Archid.

In pluribus eorum intrusi sunt.

CAPVT XLIIII.

INTRVSVS in beneficio ille dicitur qui obtinet illud sine autoritate eius ad quẽ de iure spectat collatio, notat Abb. ex text. ibi in c. Quia diuersitatẽ. in ij. not. de concess. pręben. Et allegat text. ad idem in cap. Ex frequentibus. de institu. & ponit Felin. in cap. in nostra, in ij. corollario, de rescrip. qui idem dicit in eo qui intrat cum titulo habito à superiore excommunicato vel interdicto, vel publicè suspenso, allegat text. in cap. Tanta. de excess. pręlat. & allegat Dominic. in c. Propter, vlti. col. xix. distin. ponentem sex modos quibus quis dicitur intrusus in beneficio. {& vide eundẽ Felin. ponentẽ septem in c. Veniens. num. iij. de accusa. }Clericus autem qui scienter iniustè intrudit se in beneficio habente curam animarum, ipso iure priuatus est beneficio simili cum cura quod habebat, vt in c. Eum qui. de præben. in v j.

Viuis possessoribus eorum.

CAPVT XLV.

QVI in viuorum sacerdotũ loco ponuntur, hoc ipso sunt ecclesiastica communione pellẽdi, qui se passi sunt successores viuis sacerdotibus adhiberi. verba sunt text. in capit. j. de concess. præbend. Vbi vide gloss. tenentem quòd vltra hoc debet deponi, allegat text. in cap. In primis. ij. quæst. j. sequitur Abb. ibi per eundem textum, qui tamen loquitur in eo qui

qui in locũ viuẽtis episcopi procurauit subrogari, vnde non videtur generaliter inducendus contra quẽlibet clericũ qui viuentis obtinuit beneficium. Longè enim grauius deliquit qui episcopatũ, quàm qui beneficium viuentis ambit & vsurpat. Allegat prætereà glos. in d. c. j. ad hoc, text. in c. Non furem, & in c. Eum qui. vij. quæst. j. sed text. in d. c. Non furem. nihil probat de depositione. Et text. in cap. Eum qui. solùm dicit, quòd qui recipit archidiaconatum viuentis, eiusdem Archidiaconatus honore deponitur, & si vlterius in loco eodem ministrare præsumit, priuatus est participatione sacræ communionis. Vnde non probat quòd deponatur nisi à beneficio quod recipit: non ergo intelligat iudex, dum glos. & Abba. simpliciter dicunt quòd est deponendus, quòd deponatur ob officio, quia hoc nullibi probatur iudicio meo. Patitur prætereà & aliam pœnam occupans viuentis beneficium, quòd efficitur infamis. ita Abba. vbi suprà, per tex. in c. Audiuimus. iij. quæst. ij. Sed salua eius autoritate, ille etiam text. loquitur in eo qui inuasit episcopatum viuentis, non verò in casu nostro. Et subdit prætereà Abb. ibi, quòd talis clericus non potest amplius illud beneficiũ obtinere, & quòd credit quòd solus papa potest cũ eo dispensare. Immò plus dicit notãdum, quòd taliter occupans beneficium viuentis scienter faciendo se instituí, si postea vacante tali beneficio impetrat illud à papa, non facta mentione de inuasione præterita, non valet collatio tanquã subreptitia. {ad quod etiam facit quod dicit Felin. in c. In nostra. ij. corollario. nu. xxvj. de rescrip. } Et vide tu Hispane legem xiij. ti. xvj. parti. j. quæ dispo-

nit quòd recipiens beneficium viuentis perdit illud, & nunquam debet aliud habere, & iudex qui priuat eum beneficio, & restituit viuenti, potest pronunciare illum infamem, & postea ponit duos casus in quibus impunè recipit quis beneficiū viuētis. *Et occasione laicæ recognitionis non requisita episcopi audientia beneficia ecclesiastica sibi præsumpserunt vendicare.*

CAPVT XLVI.

CLERICI taliter habentes beneficia, si commoniti illa nō resignauerint, ab officio & beneficio reddendi sunt alieni, vt sancitum est in cap. Relatum. de iure patronatus.{ Olim prætereà erat hoc per antiquos canones inhibitum, vt patet ex text. in c. per laicos. xvj.q.vij. vbi Alexander secundus dispositit, quòd per laicos nullo modo quilibet clericus vel presbyter obtineat ecclesiam. Gregorius pretereà septimus & Paschalis Romani pontifices hoc ipsum etiam damnauerunt, disponentes quòd qui contrarium faceret, excommunicationi subiaceret, præter id quòd talis inuestitura irrita esset, vt Gregorius idē decreuit. & habetur in c. quoniam. & in c. siquis clericus. eadem causa & q. } Hodie verò in Concilio Lateranensi sub Leone x. celebrato, in sessione x. in bulla contra exemptos edita, in §. Et quia sæpius dispositū est quòd collationes beneficiorum factæ à domicellis principibus, & nobilibus sub colore iuris patronatus quod habere confingunt in beneficiis ecclesiasticis nullo priuilegio apostolico suffulti, sine ordinariorum collationibus, & literis, &

absque

absque aliquo saltem colorato titulo, nullæ & irritæ esse decernuntur. Et quòd illis vtentes reddantur inhabiles ad alia beneficia ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

In nullo beneficiorum residentes.

CAPVT XLVII.

BENEFICIA omnia tã ratione naturali (quæ dictat homines illis obsequia præstare à quibus ob id stipẽdia recipiunt) quàm communis iuris dispositione residentiam requirunt, de his enim quæ animarum curam exigunt, planum est. De beneficiis verò simplicibus idem esse firmat Panormi. in cap. Quia nonnulli. de cleri. non residentibus, per tex. in cap. Super inordinata. de præben. Consuetudo autem quæ ferè semper bona opera minuit, & secordiam ac inertiã in hominibus alit (cùm à maiori parte eorum quæ non semper iustior est oriri ac foueri soleat) iam inualuit, vt hæc simplicia beneficia residentiam non requirant, quam in his doctores admittendam scribunt, ab illáque excusari beneficiatos tradunt, cùm per alios ecclesiis debita præstentur obsequia. ¶ Generaliter autem vide quinque casus in quibus nulla consuetudo excusat non residentem per Felin. in c. Cùm omnes. col. xvij. & xviij. de cõsti. num. liiij. ¶ Pœna autem clerici non residentis in beneficio (etiam modicæ æstimationis) est, quòd illo priuetur, vt in capitulo Conquerente. de clericis non residentibus. Et ibi Innocent. & Abba. notant ex eo.

Quod

Quod procedit etiam in casu quo abesset clericus ex iusta causa, quia posset priuari si monitus pro necessitatibus vel vtilitatibus ecclesiæ suæ venire recusaret. Notat Inno. in c. Ex tuæ. de cler. nõ resid. argumẽto tex. in c. Sicut autem. Et in c. Absit. xj. q. iij. Quando verò beneficia nõ requirũt residentiam, si clerici vagantur, sufficit delictũ vagationis ad priuationem, notat Inno. in d. c. Ex tuæ. allegat text. in c. Non oportet. cum sequenti. vij. quæst. j. Pro quo facit gl. in c. Non oportet. de cõse. dis. vlti. quam dicit singularem & alibi nõ repertam Corse. in sing. in verbo vagabundus, ad hoc quòd si beneficiatus est vagabundus, & tandiu absit, & dubitetur an viuat, an mortuus sit, poterit beneficium eius cõferri alteri, quod corroborat pluribus notandis conclusionibus, quæ procedunt in vagabundis. Modum autem procedendi ad priuationem in hoc casu breuitatis affectu hîc tradere prætermisi, facilè erit requirentibus inuenire.

Cùm parochiales ecclesias habeant, intra annum non fuerunt promoti.

CAPVT XLVIII.

TALES sunt priuati ipso iure, nulla præmissa monitione, ecclesia vel beneficio parochiali, vt in cap. licet canõ, de elect. in vj. quod adeò procedit, quòd non potest mora purgari anno elapso: quia pœna infligitur ipso iure, vt notat glos. antepe. ibi, quam dicit notabilem Ancharan. j. colum. & postea in colum. final. versi. quartò quæro, & voluit ante eum Ioan. Mo. ibi. vers. Sed nunquid, & idem tenet ibi Philip.

col.

col.ij. Annus præterea de quo in præsenti incipit ab eo tempore quo ipsius ecclesiæ regimen cõmissum extitit,& possessionem eius pacificam habuit prouisus, vel per eum stetit quò minus habuisset, probat text.in capitu.Commissa,eod.titul. Si autem iusto impedimento non potuit clericus intra annum promoueri,non patitur istam pœnam,vt ibi per tex. Et vide Ioan. Mona. in d, c, licet canon. versic.Sed quid,vbi notat esse legitima impedimenta ad excusandam pœnam priuationis,quòd Episcopus fuerit impeditus, vel non fuerit qui ordinaret eum, vel si Episcopus noluit eum ordinare. Crederem tamen, quòd si episcopus proprius qui non potuit vel noluit ipsum ordinare,dabat ei facultatem vt ordinaretur ab alieno episcopo,quòd esset in culpa si non promoueretur.Cõsulerem præterea clericis in casibus huiusmodi,quãdo impedimenta proueniunt ex persona episcopi, quòd protestarentur se esse paratos ad ordines suscipiendos, vt euitemus doctrinas & opiniones doctorum in similibus traditas, de quibus per Feli.in cap. Ex transmissa.de præscrip.in col.j.& iij. Alex,& Ias. in l.ij. §.quod diximus. ff. Si quis cautio. Et vide etiam notabiliter per Io. Mona. vbi suprà,qui distinguit quando quis incurrit irregularitatem, propter quam non potest promoueri, an debeat priuari,quia si hoc est sine culpa sua, non priuatur, vt potè li amittat oculum vel manum. Si autem culpa sua,debet beneficium amittere, allegat tex.in cap.j.de æta,& quali, Aduerte præterea quòd Ancha,in d.cap.licet canon.col,fina, versic. quintò quæro,notat post glo.antep. ibi,quòd etiam stante dispositione dicti tex.potest episcopus monere promot

motum vt ordines ſuſcipiat etiam intra annum: quia illa conſtitutio venit ad corroborationem iuris antiqui, non ad diminutionem: vnde ſi voluntate ſola renuit clericus ordinari nihil prætendens, niſi quia non vult, debet compelli appellatione remota per ſubtractionem beneficij & officij, ſecundùm gloſſ. ibi. Nota tamen, quia ſi quis habeat capellaniam requirentem ordinem ſacerdotalem, non eſt priuatus illa, ſi non fuit monitus vt promoueretur. ita firmarunt Domi. de Rota in deci. antiquis. D x x. incip. Nota quòd tenens capellaniam, ex ratione quia diſpoſitio illius capitu. Licet canon. tanquam pœnalis non debet extendi.

Officium inſuper diuinum vt tenentur non recitarunt.

CAPVT XLIX.

EX diſpoſitione Lateranẽſis Concilij tẽpore Leonis x. celebrati in ſeſſione nona, in cap. de reformationibus curiæ & aliorũ, delictũ hoc tali pœna punitur: videlicet quilibet habẽs beneficiũ cũ cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officiũ nõ dixerit, legitimo impedimẽto ceſſante, beneficiorũ ſuorũ fructus ſuos nõ faciat, pro rata omiſſiõis recitationis officij & tẽporis, ſed eos tãquã iniuſtè perceptos in fabricas huiuſmodi beneficiorũ, vel pauperũ eleemoſynas erogare teneatur. Si verò vltra dictũ tẽpus in ſimili negligẽtia contumaciter permãſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſo priuetur, cũ propter officium detur beneficiũ. Intelligatur autẽ officium omittere, quò ad hoc vt be

vt beneficio priuari posſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit, Deo tamen vltra præmiſſa de dicta omiſsione reddituri rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis totties ſit, quoties contrà facere conuincatur. Hęc ſunt verba concilij. An autem ante eius declarationem clericus non recitans officium diuinum teneretur ad reſtitutionem fructuum, vide Docto. in capit. j. de celebra. miſſa. Domi. & Phili. in cap. fin. de reſcri. lib. vj. Sylueſt. in verbo clericus. lo iiij. in xxiij. quæ. {Phili. in c. poſtulaſti. col. ix. nu. xxxiij. De reſcrip.}

Negociatores ac alienæ rei conductores.

CAPVT L.

NEGOCIARI lucri cauſa prohibitũ eſt clericis, vt in cap. Secundũ. ne cleri. vel mona. Vnde in Concilio Carthaginiẽſi vj. cap. xvij. ſancitum eſt quòd clericus aliquid excogitans turpis lucri gratia, abiiciatur à clero ac à communione alienus ſit. {Eiſdem præterea prohibitum fuit inter alia in Concilio Calcedonenſi in Cano. iij. conducere poſſeſsiones. Qui verò hoc fuiſſet tranſgreſſus correctioni eccleſiaſticæ ſubiacere decreuit. Poſteà etiam in Concilio Carthaginienſi iij. in Cano. xv. clericis fuit prohibitũ vt nõ eſſent conductores nec turpi vllo lucro vel inhoneſto negocio victum quærant. Nulla etiam alia inflicta pœna. Tandem, in concilio Arelatenſi ij. in capitulo xiiij. diſpoſitum eſt quòd ſi clericus conductor alienæ rei voluerit eſſe, aut turpis lucri gratia aliquod genus negociationis exerceat, depoſitus à clero, à communione alienus habeatur.

Facit

{Facit etiam in propoſito materiæ huius capituli Concilium Tarraconenſe, Canone ij. Cuius verba ſunt: Canonum ſtatutis firmatum eſt vt quicunq; in clero eſſe voluerit, emendi vilius vel vendendi carius ſtudio non vtatur. Certè ſi voluerit exercere cohibeatur à clero. cuius Concilij diſpoſitio à Gratiano refertur in c. canonum. xiiij. q. iiij. vbi etiam vide bonum text. Iulij papæ. in c. quicunque. in hoc propoſito. } Aduertendum eſt præterea, quòd queſita per clericum ex illicita negociatione danda ſunt pauperibus, vt notat Matthæus, quẽ ibi refert Card. in clement. j. in fin. de vi. & honeſt. cleric. Et notant Zenze. & Rai. ibi, quos refert Imo. ibi, in ij. col. Si tamen totum non reddiderint, non ſunt in ſtatu damnationis, vt notat Card. vbi ſuprà, referendo fratrẽ Aluarum, & Zenze. & tenet etiam Imo. ibi referendo ſolum Zenze. Et vide Archi. Floren. in ſua ſumma, in iij. parte, tit. xiij. cap. ij. §. fin. vbi ſcripſit quòd in foro pœnitentiali debet clericis iniungi, vel ſaltem conſuli quòd ea quæ taliter lucrati ſunt ſtudeãt pauperibus erogare, qui ſolùm allegat ad hoc text. in cap. Qui habetis. xiiij. quæſt. v. Ex quo videtur velle, quòd non tenentur clerici ad reſtitutionem taliter acquiſitorum.

Proxenetæ illicitorum contractuum.

CAPVT LI.

CLERICVS proxeneta illicitorum contractuũ à proprio gradu debet deponi: hæc eſt ſentẽtia Rom. in ſingu. Dccxxij. incip. Proxeneta, allegat text. in capitu. Si quis epiſcopus, j. quæſtio. j. Sed ex illo text. iudicio

cio meo non poteſt elici tam generalis propoſitio, quia ſolùm diſponit in mediatore ordinum precio ſuſceptorum: quo caſu præcipit tex. ille quòd clericus mediator à proprio gradu decidat, & ſic deponatur, ſecundum Docto. ibi. Vnde ego non auderem pœnam inflictam clerico mediatori in crimine ſimoniæ per illud Concilium Calcedonenſe extendere ad proxenetam, ſeu mediatorem illicitorum contractuum, nulla facta diſtinctione: ſed crederem pœnam illius text. in ſuo caſu practicandam, & clericum alterius contractus illiciti mediatorem pœna arbitraria puniendum, attenta contractus initi prauitate, & participatione lucri per clericum facta, & exemplo vel ſcandalo inde ſuborto. Poſſet tamen corroborari opinio Roma. de qua ſuprà per text. in capitulo primo, de teſtibus, in vj. vbi probatur quòd etiam mediator criminis dicitur ipſum delictum committere. ex quo ibi hoc notant Ancha. & Philip. & inferunt ad ſtatuta imponentia pœnam committentibus delictum, quòd videntur includere etiam mediatores, facit gloſ. notabilis in l. Si ſciente. ff. de parrici. quæ probat quòd proxeneta in contractibus vſurariis poteſt dici vſurarius, dum dicit quòd proxenetæ in talibus contractibus tenentur reddere vſuras, ac ſi ipſi accepiſſent, quam allegat Philip. in d. cap. j.

Miniſtri laicorum, ac in rebus eorum procuratores exiſtentes.

CAPVT LII.

CLericis qui talia agunt, & occasione huiuscemodi administrationis, propter pecuniariam causam deprehenduntur in fraude non subuenitur ab ecclesia, vt disponit text. in cap. Sacerdotibus. ne cleri. vel mona. quod intellige de clericis constitutis in sacris, vel beneficiatis, secundum Abb. ibi, per ea quæ ipse notat in cap. j. eod. titu. vbi in fina. verbis concludit quòd clericis in minoribus non beneficiatis nō prohibentur negotia secularia aliâs licita. Et nota secundum eundem Abb. post Inno. quòd ille text. in c. Sacerdotibus. dum prohibet clericos esse procuratores rerum laicorum, intelligitur in procuratore generali: nam procurare vel administrare vnum negotium laicorum non est clericis prohibitum, quod dicit menti tenendum. & idem tenet Abb. post Innocen. & Ioan. Andr. in cap. Sed nec. in col. j. eod. titu. } idem tenet Inno. in c. j. de obliga. ad ratio. quem sequuntur plures doct. relati per Phil. in c. cum I, & A. col. 6. nume. 17. de re iudi. quod tamen limita, nisi illud vnicum negotium ita multum esset arduum & diffusum, quòd haberet distrahere clericum, sicut multa negotia secundum Phili. in c. ij. de iudi. col. ij. nu. 4. Itē limita vt infrà in c. 55. } Item aduerte quòd inquantum dicitur in d. c. Sacerdotibus, quòd talibus clericis non subuenitur ab ecclesia, intelligunt Docto. communiter secundum Abb. ibi, quòd non per hoc datur autoritas Iudici laico capiendi eos. Sed dicit quòd clerici non debent eis subuenire, dando illis pecuniam ad satisfaciendum de fraude, vel dando fauorem eis vel auxilium, quòminus debeāt respondere in loco in quo gesserunt administrationem

nem. {Quomodo autem fuerit olim clericis prohibitum similibus vacare, vide in concilio Carthaginensi primo, Cano.6. Cuius verba sunt: Nicasius episcopus Culustitanus dixit, Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ: & displicere vobis, vt qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, non accedãt ad actiones, seu administrationem vel procurationẽ domorum. Gratianus episcopus dixit, Et Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt, Nemo militãs Deo implicat se negotiis secularibus, próinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. Vniuersi dixerũt, Hoc obseruemus. cuius canonis verba referuntur in c. credo. xxj. q. iij. licet eius suprascriptio corrupta sit.}

Tabellionatus officium exercentes.

CAPVT LIII.

CLerici in sacris ordinibus constituti, tabellionatus officium exercere non debent, & si aliter fecerint, prælati debent hoc illis interdicere, per beneficiorum subtractionem. Ita dispo nit text. in capitu. Sicut. ne cleri. vel mona. Assignat Abb. ibi duas rationes, scilicet quòd officium est vile & sæculare. In causis verò spiritualibus & eccle siasticis, clericos indigentes ad id officium admitten dos esse arbitratur Abb. ibi, col. iij. Et aduerte quòd hoc etiam habet locum in clericis in minoribus beneficiatis, secundum Anto. ibi, cui assentitur Abb. d. colum. iij. post Hostien. Clerici verò in sacris non beneficiati possent vti isto officio, voluit Hostien. ibi, quem sequitur Abb. {de quo vide, latè per laso. vbi hoc limitat nouem modis, in l. j. §. huius studij.

ff.de iusti.& iure. nu.8.} Vnum est præterea aduertendum in hac materia,quòd licet clerici non possint recipere nouas rogationes tanquam tabelliones, veteres tamen poterunt complere, probatur ex glos.in cap. Vt officium.in verbo, præmissa.de hæred.in vj. quæ hoc determinauit in monacho, quam ibi dicit singularem & menti tenendam Phil.qui dicit, quòd ratio huius est,quia cõplere veteres rogationes non est originale officium, sed executio rogationis iam factæ, & trahitur retro ac si à principio fuissent extensæ:dicit tamen vlterius vnum quod est notandũ, quòd non debent hoc facere sine licentia superioris, secundum Ioan. de Lignano, & Domi. Item nota quòd clericatum vel beneficium non perdunt clerici per superuenientiã tabellionatus.ita concludit Abb. ibi,colum.ij. licet Vincen. voluerit quòd clericus in minoribus, suscipiendo tabellionatum cedit clericatui & beneficio: quod ibi intelligit Ioan. And. & placet Abb.quando tale officium reciperetur à principe, & deputaret eum ad publica & criminalia officia. Quod ego adhuc subintelligerem, quando talis cœpisset vti officio in criminalibus, antè verò non. Quæri præterea potest non ab re in materia huius capituli, Si clericus tabellio fuit condemnatus de falso per Episcopum suum,& postea per eundem restitutus in integrum, & conficiat instrumenta tanquam publicus notarius, an valeant? quam quæstionem mouet Bald. in j. volum.consil.cccl.proponitur quòd quidam, & concludit quòd non: quia episcopus non potest restituere infamem,cùm hoc sit reseruatum principi,vt per Innocen.& alios in cap. Cùm t.de re iudic.

Aç

Ac leges & physicam audientes.

CAPVT LIIII.

ARchidiaconi, plebani, præpositi, cantores, & alij clerici personatus habentes, necnon presbyteri audientes seu studentes, addiscendo leges vel physicam post duos menses à tempore quo audire inceperint computandos, quatuor pœnis sequentibus subiacent: videlicet quòd sunt ipso facto excommunicati, ac in nulla causa si patrocinium præstare voluerint, audiantur. Et reuersi in choro, mensa & capitulo, & cæteris vltimi fratrum habeantur, & totius promotionis ad ordines vel beneficia spem amittant, nisi ex misericordia Apostolicæ sedis. Ita colligitur ex tex. & quæ ibi notant Doct. maximè Abb. in cap. Non magno opere. & in c. fi. ne cleri. vel mona. Similibus etiam pœnis puniuntur obtinentes parochiales ecclesias, quæ sunt plebaniæ, habentes sub se capellas in quibus instituuntur clerici perpetui, nequeuntes ab ipsis absque causa rationabili amoueri, si leges vel physicam audiunt, vt habetur in c. j. eo. tit. lib. vj.

Villarum procurationes suscipientes.

CAPVT LV.

SAcrosancta{ illa Calcedonẽsis Synodus, in Canone iij. Clericos misceri secularibus procurationibus prohibuit, nisi fortè qui legibus ad minorum tutelas, siue curationes inexcusabiles attrahuntur, aut quibus ipsius ciuitatis Episcopus ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vel orphanorũ, aut vidua-

rum,quæ indefeſſa ſunt,aut earum perſonarum,quę maximè eccleſiaſtico indigent adminiculo. Tranſgreſſori autem nullam aliam pœnam irrogat, niſi quòd correptioni eccleſiaſticæ ſubiaceat. Conciliũ præterea Carthaginenſe tertium eos eſſe procuratores,ſimpliciter prohibuit Cano.xv.Poſtea verò Alexan.iij.in concilio Laterañ. inhibuit clericis procurationes villarum exercere, pœna contrafacienti poſita, quòd ab eccleſiaſtico miniſterio fiat alienus. Vnde colligitur,quod } clericus generalis procurator deponendus eſt,vt in cap.Sed nec. ne cle.vel mona. Et licet ille tex.ſimpliciter prohibeat clericis procurationes:Inno. tamen quem ibi ſequitur Abb.intelligit de procuratione generali,quaſi ſentiat,quòd poſsit clericus vnum negotium procurare etiam laici : quod latius ſequitur idem Abb.in cap.ij.eod.tit. dummodo clericus non ſuſcipiat illud negotium ex cupiditate,quia tunc nec vnum negotium licet clerico procurare,ſecundum eum. Et ſic intelligit ſententiam Collectarij in locis per eum relatis,quæ aduerſabatur doctrinæ Inno. { Intellige etiam dummodo illud vnum negotium non ita multũ ſit arduum ac diffuſum quòd haberet diſtrahere clericũ ſicut multa negotia vt tenet Philip.in cap.ij.de iudi.colum.ij. nume.4.& dixi ſuprà in cap. 52. } quantum verò ad pœnam depoſitionis, de qua hîc vide quod dicam in capitu.ſequen.

Ac principum & ſecularium virorum iuſtitiarij.

CAPVT LVI.

Huius

HVius exceſſus eſt eadem pœna de qua in caſu præcedẽti,& per eundem tex. Aduerte tamen,quòd Abb.in d.cap.Sed nec.verſi.Sed quæritur. dicit quòd ſibi videtur valde graue quòd clericus deponatur propter exercitium iſtorum officiorum,ſcilicet procuratoris,de quo in c.præcedenti,& Iuſtitiarij.de quo hîc, maximè hodie:cùm non ita acerbè debeant puniri delicta, vt in c.fraternitatis.xxxiiij.diſtin.Vnde plus ſibi placet quòd tales clerici debeant excommunicari, & non deponi,niſi eſſent incorrigibiles:quia tex.ſolùm dicit quòd delinquens in hoc ab eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus, & per excommunicationẽ ſatis fit alienus:licet Ioã. Andr. intelligat de pœna depoſitionis. {Pro cuius opinione videtur facere decretũ concilij Toletani iiij.cuius verba ſunt:Sæpe principes cõtra quoslibet maieſtati obnoxios ſacerdotibus negotia ſua committunt.Et quia ſacerdotes à Chriſto ad miniſteriũ ſalutis electi ſunt,ibi conſentiant regibus fieri ludices,vbi iureiurando ſupplicij indulgentia promittitur,non vbi diſcriminis ſentẽtia præparatur.Si quis ergo ſacerdotum contra hoc commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis extiterit, ſit reus effuſi ſanguinis apud Chriſtũ,& apud eccleſiã perdat proprium gradum.eſt Cano.xxx.dicti Concilij.& habetur 23.q.8.c.ſæpe principes.} An autẽ clericis in iſto caſu ſit prohibitum quodlibet officiũ iuſtitiæ exercendæ. Abb.in d.c.Sed nec.credit quòd ſic, quia verba text.ſunt multùm generalia, & ratio generaliſsima, quia nemo militãs Deo &c. Vnde dicit per illũ tex. quòd clericus non poſſet eſſe Vicerex, vel Vicecomes,vel locumtenẽs alicuius principis ſecularis,

nec habere ſub ſua cura aliquam ciuitatem ſeu locũ temporalem. pro quo allegat text. magis ſpecificum in c.clericis.§.j.eo.tit. Videtur tamen ſibi quòd clerici poſſunt eſſe conſiliarij principis: quod dicit etiam ſentire Ioan. Andr. in d.c.clericis. quod notat etiam Bal. ex text. ibi, in auth. Habita. in princ. C. Ne filius pro patre. Et vide Abb. in dicto capit. clericis. vbi notat quòd prælatus poteſt eſſe conſiliarius principis ſecularis, licet non debeat eſſe officialis iuſtitiæ exercendæ. Debent tamen cauere ſecundum eum, ne conſulant in criminali cauſa etiam reum abſoluendum, quando ex hoc immineret actori pœna mortis, vel mutilationis membri in pœnam talionis. Poſſunt præterea clerici ſine metu irregularitatis interuenire in lege condenda, per quam pœna mortis imponitur, quando non imminet caſus, propter quem efficitur lex, ſed fit generaliter, licet poſtea caſus occurrat, vt quis interficiatur: quia tunc clericus conſulẽs non animaduertit in certam perſonam, ſed prouidet vt homines ſe abſtineant à delicto. vt notat Domi. in c.fi. iij.diſt. Vbi dicit hanc eſſe concluſionem Archi. in c.officia.xxiij.quæſt.v. licet re vera Archi. ibi nihil ſcripſerit de clerico, ſed ſolùm aſſerit quòd princeps qui legem condidit, cuius autoritate homines ſunt traditi morti, non eſt factus irregularis: & non infertur, princeps ad cuius officium ſpectat tales leges cõdere, non efficitur irregularis, ergo nec clericus qui cõſuluit ei vt illas condat: poterat tamẽ melius allegare Bal. vbi ſuprà expreſsè tenentẽ quòd clerici poſſunt dare conſilium in legibus cõdendis: & licet ex hoc ſequatur per accidens mors alicuius, non ſunt irregulares, quem refert Ioan. de Ana. in c.

Ad

Ad audientiam, in iij. col. verſi. Tertiò quæritur. de homici. Pro quo etiam facit quod notat Bal. in c. ij. in fi. de maio. & obed. poſt Innoc. quòd papa poteſt imponere pœnam mortis ſtatuendo, ſed non exequēdo, quia ſi propriis manibus occideret aliquem, fieret ſtatim irregularis.

Contra eccleſias à quibus beneficia obtinent, aduocati vel procuratores extiterunt.

CAPVT LVII.

POena huius criminis eſt, quòd tāquam ingratus poteſt eiuſdem eccleſiæ beneficio ſpoliari: vt in cap. fina. de poſtu. in fi. Notat hoc etiam gloſ. in c. Nulli. iij. quæſt. j. Tradit etiam Lucas de Penna in l. milites. in fin. de re mili. lib. xij. Quod adeò procedit, quòd ſi quis eſt beneficiatus in duabus eccleſiis non poteſt pręſtare patrocinium vni contra aliam, notat glo. in c. Si qui ſunt presbyteri. j. quæſt. vij. quod limitat eadem gloſ. niſi habeat adminiſtrationē in altera earum. Si verò neceſsitas officij quo fungitur cogat illū ad aduocandum contra eccleſiā, vt quia tutor eſt, vel prælatus, excuſatur ſecundū Inno. ibi. Vel ſi hoc agat pro ſtrictè coniunctis, vel miſerabilibus perſonis, ſecundum Abb. ibi poſt Hoſti. An autem clericus in iſto caſu qui prohibetur aduocare contra eccleſiam, ſi in camera conſulit contra eam, incurrat pœnam, de qua ſuprà. Videtur dicendum quòd non, ſi ſequimur doctrinā Bar. in l. j. §. poſtulare. ff. de poſtul. vbi tenet quòd Doct. promittētes non aduocare, poſſunt in camera cōſu-

lere:quod ibi ſequitur Alex.in addit. & quod notat idem Bar.in l.Paulus. §.j. ff.de legat. videlicet quòd Docto.qui non poſſunt eſſe aduocati, non dicuntur aduocare ſi mittunt vnam cedulam iudici,vel ſi ei loquuntur:quod refert & ſequitur Præpo.in c.Solicitudinem.de appel.col.x. qui etiam allegat Ang.in d. §.poſtulare.tenentem quòd prohibitus poſtulare,nō prohibetur allegare in camera, vel in ſcriptis, notat etiam Iaſ.in l.j.in prin.in iij.col. ff.de verb.obl.referendo Bar.vbi ſuprà.{ Et Decius in l.fœminæ.nu.ii. ff.de reg.iur.} Sed prædictis doctrinis non refragantibus(ſaluo meliori iudicio) contrarium crederē in caſu noſtro,imò quòd clericus conſulendo in camera,vel faciendo in ſcriptis allegationes iuris contra eccleſiā incurrat pœnam : quia tex.in d.c.fi.eam imponens fundatur in ingratitudine,quę reſultat ex eo quòd clericus ſit aduocatus vel procurator contra eccleſiam,in qua habet beneficium:quæ quidem ingratitudo ita conſiſtit in conſulendo in camera, vel ſcribendo in iure cōtra eam, ſicut ſi eſſet aduocatus: quia pari modo poſſunt nocere eccleſiæ conſilia clerici in camera,vel allegationes iuris ab eo ſcriptę,ſicut ſi contra illam aduocatus exiſteret : quæ paritas rationis non ſic procedit in doctrinis doctorum ſuprà relatis.

Inſtituti hæredes rogari de reſtituendo hæreditatem incapaci tacitam fidem dederunt.

CAPVT LVIII.

CLericus qui in hoc deliquerit perdit hæreditatem, quæ aufertur ab eo tanquā ab indigno,& applicatur eccleſiæ : notat Bal.in l.Si

l.Si quis presbyter.C.de epiſ.& cle. quod confirmari poteſt ex his quæ not. Feli. poſt Abb. in c.eccleſia ſanctæ Mariæ.de cõſti.col.xxiij.ver.Sequuntur etiã. vbi dicit quòd in caſibus in quibus quis priuatur vt indignus hęreditate,priuabitur & clericus:& quòd ſi clericus hæres nõ adimplet voluntatẽ defuncti priuabitur hæreditate, iuxta auth. Hoc amplius. C.de fideicom. & quòd ſi non petit tutorem pupillo, priuabitur ſucceſsione,per l.Sciant.C.de legi.hær.Quę etiam refert Barba.in conſi.xxviij.incip.Scripſit belliſsimè.in j.volu.in col.pen.referendo Ancha.in c.j. de cõſtit.in vj.char.verſi. Primò principaliter quæritur.facit etiam quod tradit Ioan. Baptiſt.in repe.l. Cunctos populos. C.de ſumma trinit. & fide catho. in col.antepe.nu.clxxv. dum ex concluſionibus per eum præmiſsis dicit inferri, quòd clerici priuantur vt indigni,iuxta tit.ff.& C.de his qui.vt indig. Aufe runtur præterea à tali clerico qui tacitam fidem dedit,fructus quos percepit ante litem motam, vt in l. Eum qui tacitum.ff.de his qui.vt indig. Dicitur autem tacitam fidem accõmodaſſe, ſiue chirographũ eo nomine dederit, ſiue nuda repromiſerit pollicitatione,vt in l.In fraudem.in prin. ff.de his qui.vt indi. Idem etiam eſt ſi fiat inſtrumentum coram notario & teſtibus,in quorum fide ponitur vt hoc habeãt in ſecreto.ita Bart.ibi.& in l.Non intelligitur.§.tacita. ff.de iure fiſ.Et vide glo.in d.§.tacita,in verbo, probationibus,quæ vult,quòd per confeſsionem rogati probatur tacitum fideicommiſſum: quam ibi ſequitur Bart.ex qua notat vnum quod eſt in hac materia ſingulare, quòd tenetur quis reſpondere poſitioni,an fuerit rogatus de reſtituẽdo incapaci:quod

ſcripſit

ſcripſit etiam Bart. latius in l. fina. colum. iij. ff. de his quib. vt indig. Et in iſta materia taciti fideicommiſſi vltra ea quæ tradunt Docto. in locis communibus vide bonum conſilium Barba. xlvj. incip. Præclarè ſcribitur, in j. volu. Poſſet etiam dici in hoc propoſito quòd cùm Barto. in d. iij. col. d. l. fina. tradiderit quòd taliter rogatus debet ſecundum conſcientiam fiſco dare talem hæreditatem, & non poteſt dare incapaci, nec ſibi retinere: quem refert & ſequitur Roſella in verbo filius. in iiij. col. verſi. quæro quod debet, & Segura in repe. §. cum filiæ. l. Cohæredi. ff. de vulg. & pup. xlv. col. verſic. Tertium eſt notandum. Sic & eodem modo clericus teneatur reſtituere eccleſiæ bona illa: quod non eſt parui momẽti. { Et an iuramentum pręſtitum arrogato & teſtibus de nunquam id reuelando valeat, vide conſi. elegans Cardi. xxxviij. qui concludit quòd non, & eum refert & ſequitur Feli. in c. intimauit. nu. 5. de teſti. }

Calumniatores.

CAPVT LIX.

PRæmiſſo prius quòd ille dicitur calumniator qui falſa crimina proponit, vt in { c. ſi quem. } §. notãdum. ij. quęſt. iij. & per Anto. in rub. eiuſdem titu. Et quòd regulariter ſi ſuccumbit in cauſa, punitur eadem pœna qua veniebat puniendus accuſatus, vt in c. ij. eadem cauſa & quæſt. { & in c. ij. v. q. vj. } Et per Anto. & Abb. in d. rubri. Clericus calumnioſus accuſator priuatur officio, & verberatus publicè in exilium mittitur, vt in capi. j. de calumn. { facit etiam tex. in c. quia iuxta. v. q. vj. } Aduerte tamen quòd hæc non eſt ordinaria pœna clerici

clerici calumniatoris, sed illa eadem qua puniendus erat accusatus,& ideo in d.c.j. fuit imposita illa verberum & exilij, quia non erat proportionabilis accusatori pœna qua erat puniendus accusatus, secundum Anto. & Abb.ibi. ideo caueat iudex ne erret, credens hanc esse ordinariam pœnam calumniatoris. Sed sequendo doctrinam Anto. ibi, in iiij. nota. quatenus pœna accusati congruit accusatori, eatenus est imponenda,& quatenus ei non proportionatur, alia corporalis loco eius subrogatur. Clericus tamen denunciator criminis, & in probatione deficiens ab officio & beneficio suspenditur, donec innocentiã suam purget,vt in c.fi.eo.tit. Et hoc ex ratione, quia denunciator dicitur impropriè calumniator, quia aliâs similitudine supplicij puniretur secundum glo.& Anto.ibi,per quos etiam vide qualiter tunc innocentia denunciatoris purgari debeat. Et procedit dicta pœna suspensionis,etiam si denuncians intenderet pœnitentiam tantùm, & non pœnã imponendam esse,vt per Abb.ibi,in fi. Dicitur præterea & alio tertio modo clericus calũniator,quando in personã electi vel postulati aliqua obiicit, & deficit in probatione,vt probat tex.in cap.j.de elect. in vj. Ex quo notat ibi glo.in verbo calumniæ,quòd in excipiẽdo,accusando & denunciãdo dicitur quis calumniari: pœnam verò eius qui calumniatur hoc modo descripsit text.ibi,videlicet quòd à beneficiis ecclesiasticis triennio se nouerit esse suspensum, ad quæ si intra illud tempus propria temeritate se ingesserit, eis ipso iure perpetuò sit priuatus, nisi manifestissimis constiterit documentis quòd ipsum à calumniæ vitio causa probabilis & sufficiẽs excusa-

ret

ret. Aduertendū autem eſt, quòd cùm ille tex. impo-
nat pœnam calumniatori obiicienti in perſonam ele
cti, non videretur extendenda ad quemcunque cle-
ricum calumniam committentem in excipiẽdo con
tra alium in alia materia, ſed tunc arbitrariè punien-
dum exiſtimo, eo prę cipuè, quia crimina in modum
exceptionis probata non ſic nocẽt criminoſo, iuxta
not. in c. j. de exceptio. { Qua autem pœna punierint
antiqui Canones falſa crimina obiicientes, vide con
cilium Arelatenſe ſecundū in Canone 24. vbi diſpo
nitur eos qui falſa fratribus obieciſſe conuicti fue-
rint, placuit vſq; ad exitū non cõmunicare ſicut ma-
gna Synodus ante conſtituit, niſi digna ſatisfactio-
ne pœnituerint. } Quæ ſint verò cauſæ iuſtę excuſan
tes aliquẽ à calumnia, vide glo. in d. c. j. de elect. in vj.
in verbo ſufficiens, quæ ponit duo exempla. Et vide
Bart. in l. Cum quidam. §. quod dicitur. ff. de acquir.
hære. vbi per illum tex. dicit, quòd quando eſſet pu-
blica fama, excuſatur qui fuit credulus, & accuſauit
vel denunciauit aliquẽ de maleficio, de quo erat pu-
blica fama, & non poteſt puniri pœna quæ imponi-
tur proponenti falſas accuſationes, & dicit ſæpius
fuiſſe de facto obtentum. Idem voluit Bal. in l. fi. C.
ſi ſeruus aut liber. lib. x. quos refert Iaſ. in prædictis
& aliis locis, in l. j. in prin. ff. de eo per quem factum
erit. An autem præſentatio vnius teſtis releuet à pœ
na calumniæ, vide Ana. in c. ij. de calumnia. in iiij.
col. ex quo colliges quòd releuat, niſi aliâs eſſet con-
ſuetus calumniari, & in alio caſu, quando reus nihil
probat, pro quo allegat Anto. ibi, & Bald. in l. fina.
C. de probat. Et nota quòd eadem ſententia eſt con-
demnandus calumniator, qua reus abſoluendus: vt

notat

notat idem Anto.in d.cap.j.in iij.nota.& Abb.in ij. nota. qui etiam addit quòd si calumniator non est puniendus tempore suo, & reus fuit absolutus, potest postea puniri ex nobili officio iudicis:quod no. ex text. ibi, regulariter autem præsumitur calumniari, qui nullas probationes producit, nisi in casibus not.per Anto.in dicto capit.j. quos transcripsit Panormita. ibi. Vnum præterea quod est notabile aduertat Iudex in hac materia, quòd nõ solùm propter veram calumniam commissam in causa criminali potest imponi pœna corporalis de iure canonico, sed etiam propter præsumptam calumniam in causa ciuili.Probat hoc singulariter tex. iuncta glo. fin.in c.fi.de do.& contumacia. qui non est alibi,secundum Inno.vt refert Ioan.de Ana.in capitu.j. de calumnia. in col. iij. Crederem tamen quòd quamuis hoc verum sit, mitiori tamen pœna licet corporali puniendus est calumniator in ciuili, quàm in criminali causa.

Maledici.

CAPVT LX.

CLericus maledicus maximè in sacerdotibus cogatur ad postulandum veniam, & si noluerit, degradetur, nec vnquam absque satisfactione ad officium reuocetur.Ita placuit patribus Carthaginieñ. Cõcilij iiij. vt habetur in cap. clericus maledicus.xlvj. distinct. Si autem clericus verba aliqua in depressione officij & beneficij Romani pontificis protulerit,tũc text. in cap. j. de maledi.præcipit illum à temeritate tali compescendum per iudicem nulla pœna declarata,

ex quo

ex quo videtur illũ reliquisse arbitrio suo: cùm enim verba quæ maledici dicere possent in detrimentum Romani pontificis & sedis apostolicę essent varia, & non æqualis grauitatis & culpæ, meritò non potuit certa pœna declarari. Iudex ergo consideratis qualitatibus personæ, verborum, & loci, & aliis quæ in arbitrariis consideranda veniunt, clericum in hoc delinquentem punire debet, dum tamen aduertat, quod si verba clerici contra Romanam sedem prolata habent in se speciem hęresis, puta si dixerit papam non posse condere canones, tunc punire debet illum tanquam hæreticum, vt notat Ioan. de Ana. ibi, in col. ij. in prin. allegando glo. nota. in cap. generali. in versi. Inhibemus. de elect. lib. vj. quæ licet hoc in terminis non dicat, tamen optimè facit in argumentũ. {Pro quo faciunt notata per Feli. in cap. j. de constit. col. iij.} Et quamuis idem {Io. de Ana. vbi suprà} in iij. col. audeat affirmare quòd pœna text. in c. felicis. de pœnis, lib. vj. habeat locum contra illum qui contra Cardinalẽ verba iniuriosa protulit, motus principaliter, quia dictus tex. punit percutientem Cardinalem: & verbum percussio comprehendit verbalem percussionem, secundum Bart. in loco per eum allegato. Et motus etiã ex eo quòd dispositio dicti text. est inducta principaliter fauore ecclesiæ Romanæ, & pro ipsius quiete, & ideo potest extẽdi, licet sit facta in odium delinquentium. Hoc tamen nõ videtur mihi salua eius autoritate posse iure sustineri: nam licet verũ sit quòd verbum percutere comprehendat verbalem iniuriã: quis audebit ex hoc inferre, quòd pœna grauis imposita percutienti comprehẽdat verbis iniuriam inferentem? Quantò minus credendum

dum est Romanum pontificem, qui tot & tã graues pœnas inflixerit insequentibus hostiliter, vel percutientibus Cardinalem voluisse eas omnes pati illum, qui solùm verbis quantumuis cõtumelioſis Cardinalem offenderit: cùm verbalis iniuria quantumuis grauis Cardinalibus illata, mitioribus pœnis & satis condignis possit sufficienter emendari. Religiosi autem qui in sermonibus suis prælatis ecclesiarũ detrahunt, per duos menses subiacere debent illis pœnis, quæ secundùm eorum regulam vel statuta, pro grauibus criminibus seu culpis eis consueuerũt imponi, super quibus absque manifesta necessitate cum eis non valet dispensari, vt statutum est in Concilio Viennensi, de quo in Clem. j. in §. Quibus. de priuileg. Clericus verò qui murmurat alienus sit à fratrum vnitate, & opus eius abiiciatur, itaq; iuxta mensuram operis in hoc peccans sacerdotis iudicio pœniteat. ita cautum est in viij. synodo Gratiano referente in cap. Alienus. xc. distin. Si tamen clericus aliquẽ iniurioſis verbis diffamauit, poterit ille contra ipsum clericum agere actione iniuriarum, & si fuerit cõdemnatus, efficitur infamis: vt probat text. & ibi notat Abb. in c. Cum t. de re iudic. qui dicit illum text. procedere etiam in clerico, secundùm vnum intellectum: quod procedit siue agatur cõtra eum criminaliter, siue ciuiliter: quia vtroque modo damnatus actione iniuriarum incurrit infamiã, vt concludit Abb. ibi, in j. col. post glos. ibi, licet glos. contrarium senserit in c. At si clerici. de iudi. Et siue verum dixerit, siue falsum, quãdo id facit animo iniuriandi & sine causa, nihilominus tenetur actione iniuriarũ, concludit Abb. in d. c. Cum t. in fin.

col. post plures per eum relatas opiniones, & ponit etiam addi. Bart. quæ plures doctores refert in l. iij. in princ. ff. de lib. & posthu. in addi. incip. Pro statuto. Crederem præterea in his regnis Castellæ & Legionis posse clericum condemnari ad petitionē iniuriati, ad hoc vt in præsentia iudicis & bonorum hominum dicat se mentitum fuisse, quū ita cautum sit, & seruari soleat in laicis, per l. ij. titu. iij. libr. iiij. fol. l. quæ lex & si posset dici clericos non cōprehendere: tamen ex æquitate quadam videtur quòd Iudex ecclesiasticus possit imitari illam, cuius arbitrio pœna in hoc casu relicta est, præcipuè attenta doctrina Doctoris de Pala. Ruuios. in Repe. rub. de donat. int. vir. & vxor. in col. v. vbi post Didacum de Villadiego Doctorem etiam Hispanum in loco per eum relato tradidit quòd deficiente iure canonico recurrendum est ad iura & consuetudines regni, non autem ad iura Imperatorum, vel Iuris consultorum. Et licet Præpos. in c. Consuetudo. j. distin. in iij. col. & Petrus de Rauenna in Alphabeto aureo, in allegationibus in materia consuetudinū, in prin. in v. col. ad fin. teneant contrarium, & sic quòd in Hispania iudex ecclesiasticus potius debeat iudicare secundùm leges Imperiales, quàm secundùm leges Regni: tamen hanc meam cōclusionem corroborat opinio Præpos. ibi, dum tenet, quòd deficientibus iure canonico & ciuili, recurrendum est ad ius municipale, vel ad particularem loci consuetudinem, vt accidit in casu nostro, in quo leges ciuiles deficiunt, nihil prouidentes in hoc casu, prout est specialiter prouisum per legem Regni. Pro qua etiam opinione mea facit doctrina Abb. in c. Ecclesia sanctæ

ctæ Mariæ, de consti. col. v. videlicet quòd vbi lex esset fundata super ratione naturali, potest Iudex ecclesiasticus illam seruare non ratione legis, sed ratione naturali. Sed quis dubitat quod iustum sit, & rationi naturali congruum, quòd clericus qui falsum crimen alicui imposuit, ex quo læsa est fama illius dicat se mentitum esse, vt per hoc fama illi restituatur, maximè cum ad hoc teneatur tanquam christianus, & ad id à confessore, etiam non petente iniuriato, cogendus sit. Quod tamen procedere posset, quando conuicium esset falsum, quia tunc verum esset conuiciantem mentitum fuisse: & tali casu illa est potior satisfactio quæ præstari potest iniuriato, neque ex eo refutanda est: quia videtur illam satisfactionem facientem infamem effici, quum iam ex ipsa condemnatione, etiam si non damnetur ad verborum retractationem, infamis remaneat, neq; enim Iudex vt pius sit iniurianti, crudelis debet esse iniuriato, qui tali modo honori suo satisfieri petit, cùm aliâs si in sola pecuniarum pœna, vel alia condemnaretur, semper crederent aut saltem suspicarentur illi qui verba iniuriosa audierunt illum dixisse verum, nisi eum se retractantem, & palinodiam decantantem audierint.

Venatores.

CAPVT LXI.

PRESBYTER in voluptate venandi sæpius detentus suspenditur duobus mensibus. Diaconus verò ab omni officio suspenditur: vt in c. j. de cle. vena. quæ pœna habuit originem à Concilio Aurelianen. de quo

in c. Episcopum. xxxiiij. distin. { Qui tamẽ text. est in Concilio Agathen. Canone lv. qui incipit, Episcopis, & non inuenitur in Cõcilio Aurelianensi. } Et aduerte quòd dicta suspẽsio presbyteri debet esse ab omni officio, sicut & suspensio diaconi secundùm Abb. in d.c.j. in fin. post Ioan. Andr. licet text. hoc ita clarè non dicat. Et nota magnam differentiam inter pœnã presbyteri, & diaconi. de qua hîc, nam cum presbytero (cùm sit præfinitũ tempus suspensionis) non dispensabitur, cum diacono autem intra duos dies, vel tres, vel quando placuerit, poterit episcopus dispensare, secundùm Henric. in d.c.j. circa fin, & Ioan. de Ana. in iiij. col. ad fin. post Hostien. in summa. eo. tit. §. fin. Subdiaconus præterea hoc delictum perpetrans eadem pœna qua & diaconus puniendus est, secundùm glo. in d.c.j. quod etiã tenent Hostien. & Henric. vbi suprà. Quid autem si alij clerici in minoribus cõstituti in hoc delinquerent? Ioan. And. post Hostien. in d.c.j. dicit quòd puniuntur arbitrariè, ex quo pœna non est statuta per text. in cap. De causis. de offic. deleg. quod sequitur Henric. ibi, & voluit Hosti. in summa eiusdem tit. in §. fin. quorum opinionem videtur magis sequi Ana. in d.c.j. in fin. verbis, dum dicit, considerandum quòd venatio est prohibita clericis in minoribus per c.ij. eo. tit. Anto. tamen in d.c.j. credit quòd hoc non sit clericis in minoribus prohibitum, per quod videtur tenere quòd propter hoc nõ sunt puniendi. vnde Abb. ibi, pro cõcordia dicit, quòd aut omiserunt tonsurã, & tenentur, aliâs secus. Et allegat Clem. ij. de vit. & hon. cler. in verbo, Et si tonsuram, Sed ego credo q̃ opinio Hostien. Ioan. And. &

Henri.

Henri. sit verior, & quòd concordia Abb. quã sub dictis breuibus verbis tradit, non procedat, nam videtur velle, ꝙ si dicti clerici in minoribus tonsuram omiserunt, & in hoc venationis delicto deliquerũt, quòd tunc puniendi sunt, aliâs hoc est si non dimissa tonsura venatores sunt, ꝙ tunc non tenentur aliqua pœna. In hoc secũdo membro videtur assentiri opinioni Anto. Sed salua eius autoritate hæc cõcordia non videtur bona: quia si actus venationis clericis in minoribus est licitus, omissio tonsuræ nõ debet eum facere illicitũ: & tunc magis puniendus est talis clericus propter omissam tonsurã, quàm propter venandi delictũ: & text. in Clem. ij. per eum adductus non suffragatur eius opinioni, quin potius videtur cõtra illam vrgere: quia ibi clerici in minoribus puniuntur si simul cum tonsura deferãt vestes virgatas vel partitas, quasi magis delinquat clericus qui tonsuram deferens rem facit indecentẽ clericali ordini, quàm si illã faciat tonsura neglecta. Vnde si in casu nostro de tonsura esset habenda ratio, magis puniendus esset, argumento dictæ Clem. clericus tõsuram deferens, & venationi vacãs, quàm si illa deposita hoc ageret: cuius fortè ratio posset esse, quia clericus tõsurã deferẽs, & prohibitis vestibus vtẽs, vel venationi intẽdens magis offendit clericalẽ ordinẽ, quàm si vt laicus incedẽs hoc admittat. Quippe cùm clericus qui cunctis apparet clericus magis populũ scandalizat, si rem illicitã faciat, quàm aliâs: quia tunc qui illũ non cognoscunt, eum laicũ & nõ clericum reputãt, & sic nõ iudicant illũ facere rem prohibitã nec inhonestã. Præterea in hoc proposito notant vnũ quod esset magni effectus, si verũ Hosti.

in d.§.fin.& Henric.& Ana.in d.c. j.quòd in omnibus ſuprà dictis monitio trina debet præcedere vindictam,per text.in c.Indignè.xij.q.ij. qui tamẽ text. iudicio meo hoc nõ probat:quia nihil de trina monitione dicit, & licet in caſu quo loquitur diſponat quòd debet eſſe tanta prouiſio,quòd vindictam admonitio præcedat, non ſequitur quòd debet monitio preçedere in caſu noſtro & trina.Præterea eorum opinioni in hoc aduerſatur aurea illa doctrina Innoc.in c. Extirpandæ.ante fin.de præb. quam celebrant Doctor. plures per me relati in regula mea: ccxcviij.incip.Monitio,in qua tradidit,quòd quãdo lex loquitur affirmatiuè, nõ requiritur monitio ad incurrendam pœnã. Cùm ergo text. in d.c.j. loquatur affirmatiuè, & ſtatuat presbyterum vel diaconum ſæpius detentum in voluptate venandi, ſuſpendendũ,ergo non requiritur monitio (ſalua dictorum patrum autoritate) eo maximè,quia ſi hoc ſcirent clerici (attendentes niſi monitione præmiſſa non eſſe puniendos) non deſiſterent à venationibus illam expectantes. Fateor tamẽ quòd in iſto propoſito multùm operaretur monitio : nã ſi clericus monitus ceſſare noluerit à venatione, poterit deponi, non propter venationẽ, ſed propter inobedientiã, vt expreſsè firmat Archid.per text.ibi in cap. Quorundam. xxxiiij.diſtinctio. quem refert & ſequitur Anan.in d.c.j.in col.j. Et notat etiam Præp.ſequendo Archid.in d.c. Quorũdam. Præterea in hoc aduertendum eſt, quòd adeò clericis eſt prohibita venatio, quòd huic prohibitioni non poteſt præſcribi per contrariam conſuetudinem, vt per Hoſtien. quem alij ſequuntur, in c.ij.de cle. vena. vt refert & ſequit

ſequitur Ana. ibi in ij. col. & vide Abb. in d.c.j. & Præpo. in d.c. Epiſcopum, qui põderant illa verba, ſæpius detentus, & dicunt quòd ſi rariſsimè cauſa ſanitatis, recreationis, vel recuperandi appetitũ venationibus vteretur clericus, nõ eſſet prohibitum, & nec quando cauſa neceſsitatis hoc feciſſet, puta pro carnibus vel pellibus habendis, quas de facili habere non poſſet, vel quando fructus ſui conſiſterent in venationibus, prout dicitur eſſe in Gallia. Aliqua etiam ex prædictis tenet Ana. in d.c.j. col. iij. de cle. vena. Et vide Archid. in ſumma. xxxiiij. diſtinct. & melius in cap. Qui venatoribus. lxxxvj. diſtinct. vbi recreationis & neceſsitatis cauſa licitam dicit clericis venationẽ. {quod etiam tenet Sylueſt. in ſua ſumma, in verbo Venatio.} De cauſa verò neceſsitatis poteſt poni optimum exemplum, quod ponunt Hoſtien. & Ana. in d. cap. j. videlicet, ſi apri, vrſi, vel aliæ feræ veniunt vaſtare ſegetes vel vineas clericorum. Et vide Card. in Clem. Ne in agro. §. porrò. ij. de ſtat. monac. vbi referendo Innoc. in c. dudum. el ij. de elect. Idẽ dicit de cauſa recreationis, qui prius aſſerit quòd ponere laqueos & retia ſine ſtrepitu, & clamore, & canibus licet clericis, allegat text. in cap. Nunquàm. de conſecra. diſtin. v. & idem tenet Ana. in Rubr. de cleri. vena. in j. col. referendo Paul. in d. §. Porrò, quod etiam notat Præp. in c. j. xxxiiij. diſtinctio. & Platea in l. Venatoribus. C. de excuſa. mune. lib. x. Nota tamẽ quòd venationem in dubio debemus interpretari, recreationis cauſa, vt per Alexan. in conſil. lxxij. j. volum. fin. col. quod etiã notat Ana. in d.c.j. ij. col. ad fin. Et Lucas de Penna in d.l. Venatoribus.

Ioculatores, Goliardi, seu Buffones.

CAPVT LXII.

IOCVLATORES dicuntur latores ioci in publicum, faciẽtes spectaculum proprij corporis, vt per Ioan.mona. in cap. j.de vit.& honest. cler. in v j.per text. in cap. Cum decorem.eod.titu. & per l.ij.ff.de his qui not.infam.& glos.in dict.c.j.Hoc verò vocabulum Goliardos, vulgare est Gallorum,& Buffones, vulgare est Tuscorum,secundùm Ioan.Mona. & glos. ibi:hos tamen alibi appellat canon histriones. iiij. quæst.j.cap.j.de consec.distinct.ij.cap.Pro dilectione,secundùm Ioan.Andr.& Domi. ibi,tamen in illis capitulis non fit mentio de aliqua ex tribus dictionibus prædictis,sed solùm de histrione. Ex quo videntur dicti doctores intelligere,quòd idem significat hæc dictio histrio, quod tres dictiones prædictæ.Et clerici qui tales se faciunt si per annum illam artem ignominiosam exercuerint, ipso iure carent omni priuilegio clericali. Si autem breuiori tempore, tunc si tertiò moniti non resipuerint, carent etiam omni priuilegio clericali. Ita disponit text. in dict.cap.j. & facit in proposito decretum Concilij Carthaginien. iiij. à Gratiano transcriptum, in cap. Clericum. xlvj.distinct. vbi disponitur, Clericum scurrilem, & verbis turpibus ioculatorem, ab officio esse retrahendum. Annus autem de quo suprà continuus debet esse, vt pœnam prædictam quis incurrat: vt notat Ioan.mona. ibi, & Archidiaco. Ioan. Andr. & Domini. Vnde si in diuersis mensibus diuersorum annorum,qui simul iũcti vnũ facerent

rét integrũ annũ,quis vteretur prædicta arte,nõ haberet locũ ista pœna,secũdùm Anch.& Domini.ibi Aduerte præterea quòd licet Ioã.mo.in d.c.j.teneat quòd clerici in sacris nõ amittant priuilegiũ in isto casu,cõtrariũ tamẽ tenẽt Arch.Ioã.And.Anch.Domin.& Phili.ibi,possunt tamẽ recuperare ipsum priuilegiũ per dispẽsationẽ episcopi, quãdo in hoc delinquẽs esset pœnitẽs & verè cõtritus secũdùm Ioan. And.& Anch.ibi,& Domi.Et vide Bartho.de Cassaneo in cõsuetudinibus Burgũdiæ.fol.l.in §. Septimò sallitur.vbi limitando regulã quòd clerici non possunt de crimine corã secular Iudice cõueniri, dicit quòd hoc fallit in clerico goliardo, buffone vel ioculatore,qui tertiò monitus non desistit,quia talis est ipso iure priuatus omni priuilegio clericali. Ex quo videtur velle quòd propter hoc crimen clericus efficitur de foro iudicis secularis.{ pro quo etiã vide Stepha.Aufre.in clem.j.de offi.ord.}Et licet vt suprà dictũ est Doctores teneãt contra Ioan. mona. & sic, quòd hæc pœna procedat in clericis etiã in sacris,dicit Bar.vbi suprà,quòd tutius est tenere opinionẽ Io.mona.contra Archid.& sequaces propter actualem degradationem, quæ in hoc casu secũdũ eũ videtur necessaria:cuius opinionẽ videtur sequi Phili.Probus in addi.ad Io.mona.Ego tamen credo quòd opinio Archi.& aliorũ cõtra Io.mona. sit vera.Nec obstat illud de degradatione quod Barthol.de Cassaneo vbi suprà dicit:quia non sequitur, est necessaria degradatio in casu isto, ergo bene dicit Io.mona.dum asserit quòd pœna ista non procedit in clericis in sacris. quia Doctores contrarium tenentes,non negant degradationem esse necessa-

riam,licet de ea nō faciant mentionem, & si necessaria est in casu nostro,etiam facienda esset in clerico in minoribus,quia ille etiam capax est degradationis,vt videbis infrà super verbo degradari: neque cōstat ex verbis Ioan.mona.quòd ideo dicat, quòd clerici in minoribus amittunt priuilegium, iuxta formam text.in dict.capitu. j. quia in eis non est necessaria degradatio.

Carnificum,seu macellariorum, aut tabernariorum officium publicè & personaliter exercentes.

CAPVT LXIII.

CLERICI nominatim & tertiò moniti, vt ab huiusmodi officiis desistant,si non fecerint, aut officia illa resumpserint, cōiugati omnino, non coniugati verò in rebus,& si omnino incedunt vt laici in personis, priuilegium clericale quādiu præmissis institerint, eo ipso amittant. ita dispositum est per Concilium Viennens.vt in Clement.j. de vi.& honest. cleric. Et aduerte quòd pœnam hanc incurrunt etiam clerici prædicta officia exercentes pro vtilitate dominorum quibus seruiunt: quia in hoc non habetur respectus ad eum cuius interest,sed solùm ad eum qui talia officia exercet per se & publicè secundùm Bonifacium ibi,prope fin.post Paul.& Guilliel.Quem etiam ibi vide prius tenentem post Paul. quòd clerici puniuntur prædicta pœna,quamuis non exerceant continuè dicta officia, sed per dilucida interualla,dum tamen eo tempore quo non exercent desista

sistant propter aliam causam, & non causa honestatis ordinis clericalis. Vt autem pœnam hanc incurrant clerici debent nominari proprio nomine & expresso in monitione illis facienda, per glos. ibi, in verbo nominatim: quæ quidem monitio debet fieri publicè in ecclesiis per presbyterum vel præconem in scriptis, vel sine scriptis, vel in locis aliis publicis secundùm Guiliel. de monte Lau. ibi: quod tamen videtur intelligere Bonifacius ibi prope fin. quando non possunt clerici apprehendi: nam si possent, monitio debet fieri in personis monitorum, quem etiam vide dicentem quod forsan sufficeret, si fieret monitio in loco habitationis. & vide Cardi. ibi, in vij. quæst. concludentem, quòd quando monitio fieret per circũlocutiones omnino specificas: tunc æquè fit certificatio, sicut per nomen propriũ: & in casu nostro talis monitio sufficeret, dum clarè constet de quibus fiat mentio. & idem tenent Zenze. & Petrus de Ancha. & Bonifac. & Imo. ibi: quos sequitur etiam Ioan. de Vanchel. in suo breuiario, super dict. clement. licet Paul. & Ioan. de Ligna. teneant cõtrariũ secundũ eũ. Debet etiã esse monitio trina, adeò quòd non sufficeret vnum perẽptorium pro omnibus, vt not. etiam glos. ibi, in verbo Tertio. Et tenet Guiliel. & Bonifacius ibi. Cardin. autẽ in viij. quæstio. concludit vnam monitionem cum tribus interuallis equiparari in isto casu tribus monitionibus, & sic intelligit opinionẽ Zẽze. ne cõtradicat Stephano: & sic videtur, quòd possit intelligi opinio Anch. & Ioã. de Imo. ibi, qui vidẽtur sim pliciter tenere opi. glo. & Ioan. de Ligna. & Zenze. In arbitrio præterea est episcopi in his monitionibus

bus ſtatuere terminum quem voluerit, ſed poſtquã ſtatuerit, non licebit immutare prius quàm lapſus fuerit, ſed cùm durat, prorogare poterit ex cauſa. ita Cardi. ibi poſt Lau. in ix. quæſtio. in fin. Et aduerte quod inquantum ſuprà dictum eſt, quòd reaſſumẽs officium prohibitum ex prædictis poſtquàm dimiſit, incurrit pœnam: limitandum eſt, niſi reaſſumens dimittat illud durante termino monitionum, vt declarat gloſ. ibi, in verbo reſumpſerint, quam ſequitur Cardin. ibi poſt Laud. & Paul. in x. quæſtion. Et idem ſequitur Imol. ibi ſuper eadem gloſ. Quod tamen optimè ſublimitat & declarat Bonifa. ibi, in colum. iiij. verſic. Sed iſtud. Vbi dicit quòd prædictam limitationem putat veram, quando primò dimiſsio fuit facta ſimpliciter: nam tunc quia conſtat de cauſa dimiſsionis, & ſumus in materia pœnali, intelligendum eſt prout placet ipſi monito: ſecus autem vbi conſtat de dimiſsione propter monitionem præcedentem: tunc enim monitio fuit ſortita ſuum effectum, & ſic amplius non poteſt dici quòd durat terminus monitionis: & ideo reaſſumptio per eum facta nocebit ei, tanquam facta, expirata iam monitione, licet poſtea ductus pœnitentia quia reaſſumpſit, dimittat intra terminũ ſibi datũ in monitione. Itẽ nota quòd ſi clericus vtatur aliis vilibus officiis, vt puta aptare pelles, vel ſi ſint lenones, vel balneorũ publici cuſtodes nõ incurrũt prædictã pœnam, licet videatur in talibus eſſe idẽtitas rationis, & in aliquibus eorũ maior ratio, vt colligitur ex gloſ. iiij. in d. clem. & ex his quæ no. ibi Card. quãuis cõtrariũ teneat Zenze. ibi, quẽ videtur ſequi Bonifa. ibi, in col. ij. ver. Cõclude, qui etiã addit, quòd ſi clericus exerceret

ceret officiũ mũdandi cloacas, quòd forsan haberet locũ pœna d.clem.quod ego nõ opinor verũ, sequẽdo dictã opinionẽ Cardi.post glo.quia si lenones nõ cõprehenduntur sub ea, quia non sunt expressi, multò minus mundantes cloacas. Crederem tamẽ quòd & si tales non comprehenduntur, quia ille text. videtur specialiter prohibere illa officia ibi expressa, ex eo fortè, quòd in illa ætate frequentius peccabatur in illis, secundùm Cardi.ibi, Si clericus vteretur aliquo ex prædictis officiis, vel similibus vilibus, vel inhonestis, si monitus non desisteret, puniendus esset superioris sui arbitrio, attenta officij & personæ qualitate, & temporis diuturnitate, & aliis quæ infrà in arbitrariis consideranda tradimus.

Aleatores.

CAPVT LXIIII.

ALEA quidem (si Calepino credimus) ludus tabulæ est, & omnis ludus in varietate fortunæ consistens. Vnde aleator dicitur qui sępe alea ludit: ludere autem ad aleas & taxillos clericis prohibitum est, vt in capit. Clerici, de vita & honesta. cleri. quod ideo prohibitum videtur propter plura crimina quæ in talibus ludis perpetrari solent, quorum xvj. refert Host. in sua summa, in tit. de excessi. prælat. in §. Clericus. Et vide Florent. in ij. parte, titu. j. capit. xxiij. §. vj. col. j. & duabus sequent. vbi dicit quòd quot sunt puncta in taxillis, tot sunt scelera in ludo, & ponit xxj. peccata quæ in illo interueniunt, quæ omnia ad literam transcripsit Petrus de Rauen. in suo Alpha. au-

reo, in verbo, ludus. Pœna autem clerici publici aleator

toris est vt repellatur ab obtinẽdo beneficio, etiam si nunquam fuerit monitus, vt desistat à ludo probatur. in cap. inter dilectos. de excess. præla. iuncta glos. in d. cap. Clerici. in verbo ad aleas, vnde dicit. Abb. in d. c. Inter dilectos, quòd collatio facta tali est nulla, si de hoc constabat, tãquã facta vili & indigno, & si nõ cõstabat, quia erat occultus, debet irritari: quæ vltima verba Abb. displicent. Nam si hæc est pœna aleatoris publici, quomodo occultus aleator illa punietur? beneficio autem obtento non priuatur propter ludum, secundùm eum, sed mitiori pœna plecti debet, ex quo videtur quòd pœna est arbitraria. Si autẽ monitus nõ se correxerit, tunc potest beneficio priuari secundũ eũ, qui allegat text. in cap. j. xxxvj. distin. quæ aliâs est xxxv. qui text. hoc expressè non dicit, sed quòd clericus deseruiens aleæ, aut desinat, aut damnetur, & non aperit quæ sit pœna. Vnde magis mirandum est quòd Domini. & Præpo. ibi summando text. eundem videntur tenere quòd per illum textum imponitur pœna depositionis, quod etiam videtur tenere Siluest. in summa, in verbo ludus, in vers. Quartò quæritur, dum dicit quòd patet esse peccatum mortale ludere in clericis, ex pœna quæ est excõmunicatio, vel depositio, vt dist. xxxv. Episcopus, qui est idem text. de quo suprà, qui omnes Doctores solùm ad hoc moueri possunt propter illud verbum damnetur. Et prædictam tamen opinionem Abb. sequitur simpliciter Ioan. Baptista Caccialupi in tracta. de ludo. in xij. quæst. licet non referat Abb. sed allegat solùm Doctores in dict cap. inter dilectos, & idem ferè ad literam facit Paris de Puteo in tract. de ludo, in col. xj. numero xliiij.

licet

licet de Dominico & Præpo. nullus eorum meminerit. Ego verò in pœna huius delicti nõ facilè opinor quòd posset describi certa doctrina, quippe cũ variari debeat ex circũstãtiis occurrentibus quæ ad aggrauandã vel minuendã eã animũ iudicis inclinabũt: deóq; arbitrari eum oportebit quanta sit consuetudo ludentis, & quæ quãtitas precij, & qualitas personarũ, qualísve exẽpli pernicies, & an in hoc delinquẽtes occasione ludi diuina deseruerint officia, quibus interesse tenebantur, aut si sacramenta desierint ministrare. Et prout hæc omnia accidisse cõpererit, sic delinquẽtes in hoc punire debebit. Vnũ præterea semper aduertat Iudex, quòd cùm in his præcipuè regnis longè grauius puniãt eorũ leges ludentes ad taxillos, quos idioma Hispanũ, Dados appellat: & hoc genus ludi in oculis omniũ detestabilius sit, sic debet ipse arctiori pœna clericos qui in hoc deliquerint coercere. Si verò clericus proprio ludo id adiunxerit, quòd aliis ludere volentibus mensam paratam habet, in qua alios ad ludendum prouocat ac recipit, tunc quidem grauiori pœna quàm in prædictis casibus plectendus est. Admonitos præterea velim in hoc articulo omnes Iudices, horum præcipuè regnorũ, quòd licet ex eorũ legibus sancitũ sit, quòd post duos menses non possint Iudices inquirere contra lusores, nec contra eos qui duos tantũ argenteos luserint procedere: ipsi tamẽ contra clericos & post dictum terminũ, & infra prædictam quantitatẽ poterunt & debebũt procedere, ex ratione: quia cùm longè inhonestius, & magis prohibitum sit clericis quàm laicis vacare ludis, non videtur decens esse dictarum legum sanctiones in

cleri

clericorum ludentiũ patrocinium admittere. Atq; ex ea crederem ratione posse firmari, quòd licet eædem leges patriæ breuem terminum præfixerint ad repetitionem amissorum in ludo, etiam eo lapso damnari poterit clericus ad restitutionẽ eorũ quæ lucratus est, eo qui amiserit repetente. Et quòd in hoc attendendum sit tempus à iure communi præfinitũ ad repetitionem prædictorum, de quo in auct. Aleatũ vsus. Et per Abb. in d.c. Clerici. de vi. & honest. cleri. Nõ solũ autẽ Iudices ecclesiastici in puniendis clericis lusoribus debent esse peruigiles, sed & inspicientes, & participes tantùm etiam punire debent, pœna quæ ipsis condigna videbitur, Imperatoriarum legum zelum imitantes, qui clericos ad tabulas ludentes, vel participes ludentium, aut inspectores tribus annis à ministerio prohiberi iubent, & in monasterio redigi, vt in auct. Interdicimus. C. de episcop. & cleric. & in §. Interdicimus. in auct. de sanctiss. episcop. colla. ix.

Bona ecclesiæ dilapidantes.

CAPVT LXV.

SI quis dilapidator est bonorum ecclesiæ, hæc est manifesta & rationabilis causa quare potest à dignitate remoueri, probat text. in cap. ij. de stat. mona. circa fin. & vide text. in capitu. Si quis presbyter. l. dis. quem sic summat Præpo. Presbyter vel diaconus vendens sacra vasa ecclesiæ deponendus est, poterit tamen episcopus cum eo dispensare: qui text. etiam probat quòd clericus in hoc committit sacrilegiũ. Patronus verò clericus qui res ecclesiæ alienat, vel illis

illis damnum infert, si requisitus non restituit su-
spenditur ab officio & beneficio donec emendet, &
si adhuc noluerit emendare, debet deponi. ita etiam
disponit text. in l. iij. tit. xv. parti. j. Et nota quòd in
isto casu dilapidationis tria specialiter reperiuntur
secundùm Anto. post Hostien. in cap. Licet Heli. de
simon. pen. col. primum quòd absens & contumax
condemnatur etiam lite non contestata. Secundum
quòd propter solam suspitionem suspẽditur ab ad-
ministratione is contra quem fit inquisitio. Tertiũ
quòd quilibet auditur accusans: quæ etiam tria spe-
cialia refert & sequitur Ana. ibi, in col. vj. Prius ta-
men admittẽdi sunt quorum interest. xvj. quæst. vij.
cap. Filiis. & ij. quæst. vij. Quapropter. Forma verò
procedendi contra dilapidantem est, quòd formen-
tur duo processus, primus de suspitione dilapida-
tionis, in qua summariè procedi debet: quia time-
tur ne is contra quem est inquirendum de veritate
officiales corrumpat, & inquisitionem veritatis im
pediat, in qua procedi potest summatim, & sine scri
ptura ad effectum, vt probata suspitione detur sibi
coadiutor, & interdicatur vtriq; omne genus alie-
nandi, & tunc probata suspitione licet leui, & per
coniecturas debet suspẽdi ab administratione, quæ
suspensio operatur effectum, quòd solùm perdet po
testatem administrandi in temporalibus, non verò
in spiritualibus. Secundus processus de veritate di-
lapidationis in quo proceditur plenariè, & inuenta
veritate deponitur ab administratione in perpetuũ,
taliter quòd quo ad actum, & quò ad ius remouea-
tur ab administratione spiritualium & temporaliũ,
licet non degradetur ab ordine: & sic eiicietur dila-

pidatorab ecclesia,& alius præficietur,& eiectus re manebit in ordine,sed non habet ordinis executionem, cùm sit effectus infamis per sentẽtiam. Quæ omnia colliguntur ex Archid. in c. Vobis. & in cap. Vulteranæ. xij.quæst.ij.& ex Anto.in c. Venerabili. de offic.deleg.& in c.Licet Heli,de simo.& ex Ioan. de Ana.ibi,col.v. & ex Abb.in d.c. Venerabili. cõplectendo substantiam dictorum suorum: Abb. tamen vbi suprà, in hoc secundo processu quando de veritate agitur quò ad pœnam imponendam cõuicto de dilapidatione distinguit, quòd aut fuit actũ criminaliter,& debet deponi,allegat text.in c. Apostolicos.& c. Monemus. xij.quæst.ij. cuius opinionem sequitur in hoc Præpos.in d.c. Vobis,prope fi. Aut fuit actum ciuiliter,& debet solùm remoueri à beneficio,& alius est ad illud promouendus,allegat text.in d.c.Licet Heli. quam distinctionem habuit ab Anto. ibi licet eum non referat, qui etiam plus dicit, quòd debet deponi etiam ab ordine: & vide eundem ibi, & in d.c. Licet Heli. tenentem quòd si prælatus non potest conuinci de dilapidatione, & est infamatus, debet se purgare. Et aduerte quòd Abb.in d.cap. Venerabili. dicit quòd hic processus de quo suprà habet locum, quando proceditur per viam inquisitionis,seu denunciationis: sed si accusatur quis de dilapidatione, non est necesse vt prius inquiratur an sit suspectus,sed potest procedi super veritate. Quum autem totus hic noster libellus in denunciatione fiscalis, & nõ in accusatione fundetur:per hoc constat quòd debebit in nostro proposito formari duplex processus. Crederem præterea quòd licet verum sit quod Abb. dicit,quòd accusationem

tionem non est necesse præcedere inquisitionem de suspitione. Si tamen accusator peteret pendente accusatione accusatum suspendi ab administratione, tunc necesse esset saltem summariè de tali suspitione cognosci, & illa probata posse procedi ad suspensionem, vt suprà: quia sola pendentia accusationis de dilapidatione non sufficeret ad suspẽdendum reum ab administratione, vt notat Anto. in d. cap. Licet Heli. col. pen. & Præpos. in d. c. Vobis. xij. quæst. ij. Sed in materia huius nostri cap. vide Abb. in d. cap. Licet Heli. pen. col. vbi dicit quòd in veritate super modo procedendi cõtra dilapidatores iura loquuntur vario modo: quia principaliter habemus text. in ista materia ibi, in d. c. Licet Heli. & in d. c. Venerabili. & in c. Vobis. & in c. Vulteranæ. xij. quæstio. ij. cum aliis: & videtur quòd non possint rectè reduci ad concordiam, nisi vnum suppleatur per aliud. Vnde putat ipse propter hanc iurium varietatem esse committẽdum iudicis arbitrio, quam viam debeat accipere, & ideo considerata qualitate denunciantium & denunciati, & fama si qua habetur, quandoque iudex à principio interdicit à potestate alienandi, prout factum fuit in d. c. fin. de accusa. quandoq; interdictione non facta procedit super suspitione, vt ibi: & probata suspitione poterit secundùm eius qualitatem & quantitatem in partem vel in totũ suspendere, vt ibi: vel dare sibi coadiutorem, vt in d. c. Venerabili. & quòd sic possunt reduci ad concordiã iura & opiniones plures quæ versantur in hoc. Cuius opinionem videtur quodãmodo sequi Felin. in d. c. Venerabili. dũ in nostro proposito, & in materia dilapidationis videtur se remittere ad docto-

res,ibi,maximè ad Imo.ibi,& ad Abb.in d.c. Licet Heli. Et nota quod dicit Anto.in d.cap. Licet Heli. in pen. col. quòd dicitur probari ſuſpitio dilapidationis, ſi eccleſia habeat magnos reditus:& nihilominus prælatus eſt magnis debitis obligatus, & ꝙ non poterit ſe excuſare obtentu nobilitatis, quia quantumcunq; ſit nobilis, debet ſe reſtringere, & temperare,ſecundùm eccleſiæ facultates. Quod non videtur ſimpliciter tenendum:quia ſi prælatus dilapidat reditus annuos eccleſiæ ad ſuam tantùm menſam pertinentes, non dicetur tunc dilapidare bona eccleſiæ: ſed reditus ſuos. Propter quod nõ videtur eſſe procedendum contra eum, tanquam contra dilapidãtem bona eccleſiæ,niſi intelligat Anto. quando debita quibus erat obligatus prælatus eſſent cõtracta ratione eccleſiæ,nam cùm ad illa etiam teneatur ſucceſſor iuxta text.in cap.j.de ſolu.dicetur tũc dilapidare bona dignitatis, quum per ſuperfluitatẽ ſuorum ſumptuum obligat ſucceſſorem ſuũ in ea. Inſuper Barba.in d.cap. Venerabili. in vj.& vij.col. ſimpliciter refert plures & varias opiniones in iſta materia, & poſt earũ relationem dicit quòd magna moleſtia eſt ſibi in referendis tot opinionibus, & quòd veritas non habetur ex illis, & quòd eſſet neceſſaria papalis deciſio, vt tot iura varia & diuerſa reducerentur ad concordiam, & poſtea in col. ſeq. refert opinionem legiſtarum in propoſito, & dicit quòd etiam ex dictis eorum non apparet veritas, ſicut neq; ex dictis canoniſtarum, & quod ſoluat Apollo. Et tandem ipſe pro veritate dilucidãda in iſto paſſu ſuſcipit duos caſus examinandos. Primum an pendente lite ſuper ſuſpitione dilapidationis ſit interdicta

terdicta ipso iure potestas alienandi, an sit interdicenda à Iudice. Secundum an sit interdicenda administratio, an debeat dari coadiutor, quos duos casus prosequitur per duas col. sequẽtes, & tandem ex eis elicit tres conclusiones. Quarum prima est, quòd licet à iure sit potestas alienandi interdicta, pendente lite super suspitione dilapidationis, tamen requiritur factũ Iudicis, quam dicit esse contra Hostien. & sequaces. de quo articulo vide Aret. in d. c. fin. de accusa. reliquas duas referre nõ curo, quia primam earum dicit esse contra glossas Decreti, & Decretalium, & contra omnes Docto. vsq; ad suos dies. Secundam dicit esse contra scribentes, propter quod satis videntur paruipendendæ à doctoribus, qui magis veritatem, quàm superfluam subtilitatẽ quærũt, & aliis referre student. In tãta igitur Doctorum varietate, nimirũ si nos quid verum sit non facilè possimus eligere. Vnde videtur posse teneri forma duplicis processus, de qua suprà cùm temperamento opinionis Abb. in d. c. Licet Heli. in qua multũ credit in hac materia committendum arbitrio iudicis.

Publicis spectaculis.

CAPVT LXVI.

SI ENIM hominibus cunctis obesse plurimum, moréq; corrumpere spectacula. Lactantius ostendit, ob ídque fugienda consuluit in lib. vj. diuinarum institut. cap. xx. in fin. maximè sub his verbis: Vitanda ergo spectacula omnia, non solùm nequid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata & pacifica esse debent, sed ne cuius nos voluptatis consuetudo deliniat, &

à Deo atque à bonis operibus auertat. Quis inquam ambigere poteſt, quàm indecens ſit eccleſiarum obſequiis mancipatos viros illis delectari? Vnde meritò miniſtris altaris, } ac quibuſlibet clericis prohibitum fuit in Cõcilio Laodicen. { in Canone liiij. } de quo in cap. Non oportet, { lo ij. } de conſec. diſt. v. ſpectaculis aliquibus quæ in nuptiis, aut in ſcenis exhibentur intereſſe, & ſancitum fuit eos debere fugere, & abire de conuiuio antè quàm themelici ingrediantur, vt ibi. Quódque non debeant ſpectaculis intereſſe ſcripſit Iſidorus, vt in capit. His igitur. xxiij. diſtinctio. & quæ etiam turpia ſpectacula illis inhibeãtur, habetur in cap. Presbyteri. xxxiiij. diſt. quod eſt Conciliũ Agathenſ. { in Can. xxxix. } & inſuper in antiqua illa & felici Eccleſiæ ætate, non ſolùm Pontifices maximi & cæteri Prælati eorum coadiutores, ſed etiam Imperatores ipſi quantumuis vniuerſi ferè orbis regimine præpediti, clericorum honeſtati ac ſuorum morum reformationi vacabant, gnari quidem quãtum officiat à ſacerdotibus & clericis in reliquum vulgus exempli mali virus efflatum: adeóq; huiuſce honeſtatis erãt ſolliciti, vt plura clericis omnibus interdicerent, quæ infelici hac tempeſtate noſtra leuiſsima fore videntur. Cuius rei exemplum eſt quòd Iuſtinianus Imperator non ſolùm epiſcopis, ſed etiam presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & lectoribus, ac omnibus aliis cuiuſlibet venerandi collegij ad quodlibet ſpectaculorum ſpectãdi gratia venire prohibuit. In hoc verò delinquentes, vt tribus annis à venerabili miniſterio prohiberentur, & in monaſterio redigerentur ſtatuit, vt in aucten. de ſanct. epiſco. §. Interdicimus.

dicimus.colla.ix.quæ quidem pœna & si vti ab Imperatore clericis inflicta videatur, non imponenda: monere tamen debet prælatos omnes, vt similia clericis prohibeant, ac contemptores pœna digna castigent. Et vide Cardi. in Clem. Ne in agro. §. Porrò. col. ij. de stat. monac. referentem Laur. qui per text. ibi, & in d. §. Interdicimus. & per text. in cap. Sententiam sanguinis. ne cleri. vel mona. dicit quòd clerici non debent intereſſe ludis, oſtẽtationibus, duellis, executionibus damnatorum ad mortem, clandeſtinis matrimoniis, & aliis voluptuoſis, ſeu aliis inhumanis actibus laicorum, ex quibus probabilis videtur aſſerentium opinio, ſcilicet nõ licere clericis, maximè ſacerdotibus tauricidiis intereſſe. Quippe cùm inficiari nemo valeat quòd ille actus inhumanus ſit, & antiquam redolens barbariem, & in quo plures exinde hominum ſequantur interitus, tanique ſoleant iocundiora reputari ſimilia ſpectacula, quantò ſæuior in homines fuerit taurorum ferocitas iaculis laceſsita. Vt autẽ ab hoc abſtinerẽt clerici in ſacris ſaltem conſtituti, honeſtũ & æquũ ducerẽ, vt hoc ſynodali decreto per omnes diœceſes prohiberetur, pœna cõdigna contrafacientibus impoſita.

Clandeſtinis nuptijs intereſſentes.

CAPVT LXVII.

DARROCHIALIS ſacerdos contemnẽs prohibere tales nuptias, aut quilibet alius etiã regularis qui præſumit illis intereſſe ſuſpenditur ab officio per triennium, & punitur grauius, ſi culpæ qualitas poſtulauerit, vt in cap. fin. de clandeſt. deſpon. Et licet text.

ibi ſolùm dicat quòd in hoc delinquens ſuſpenditur ab officio, intelligendum eſt, q̃ talis ſuſpẽſio inducit etiam ſuſpenſionẽ à beneficio, cùm hoc ſit regulare, vt not. glo. in Clem. Cupiẽtes. de pœn. in glo. magna, verſi. Et nota. { & in c. Latores, de cler. exco. miniſt. & Doct. in c. Paſtoralis. de appella. vbi etiam glo. fin. } & ita tenet Card. in d. c. fin. quem refert & ſequitur Præpo. ibi, in fin. col. Tẽpus autem triẽnij poterit minui vel augeri ex cauſa, vt not. Hoſti. ibi, quem ſequitur idem Præpoſ. in d. fina. col. qui pro eius opinione põderat text. ibi, dũ dicit, grauius puniendus, &c. Imò plus dicit Hoſtien. ſecũdùm eum quòd ab hac ſuſpenſione poterit abſolui ab ordinario, vel ſuo parrochiano, ex quo non reſeruatur ſedi Apoſt. arg. text. in c. Nuper de ſenten. excom. niſi per conſtitutionem legati in prouincia de conſenſu ſynodali fuerit abſolutio reſeruata, nam tunc etiam epiſcopus non poſſet abſoluere. Ego tamen dubito inquantũ docto. dicunt q̃ abſolui poterit à ſuo parrochiano, argu. d. c. Nuper. q̃ hoc ſit verum in iſto caſu. quia ille text. loquitur in excõmunicatione, in qua vertitur periculũ animæ, q̃ quis ſit, vel moriatur excõmunicatus, quod non eſt in ſuſpenſione. Itẽ loquitur quando difficile eſt ex aliqua iuſta cauſa, q̃ ad ipſum excõmunicatorem abſoluendus accedat. Item ludibrio eſſet pœna iſta ſuſpenſionis per triennĩ, ſi ſtatim poſt illã incurſam poſſet ſacerdos abſolui à ſuo parrochiano: Prẽterea pœna iſta imponitur presbytero parrochiali, quomodo ergo poterit iſte habere aliũ presbyterũ parrochialẽ ſuũ, qui illũ tanquã parrochialis & proprius ſacerdos abſoluat. Imò q̃ nec ab epiſcopo poſsit abſolui ſacerdos qui

hanc

hãc pœnã incurrit,magis in ſpecie probat gl.in cap. Cupientes.in §.Cæterum,in verbo,ſuſpẽſos.de elect. lib. vj. dum dicit,quòd text.in d.cap. Nuper.nõ habet locum in ſuſpenſione:& licet ſequamur opi.glo. in clemen. j. de hæret.in §. verum.in verbo excommunicationis,quæ videtur extendere d.cap. Nuper. ad ſuſpenſionẽ,quãdo non fuit ad tempus determinatũ,& dicit nõ habere locũ quando tẽpus eſt determinatũ, adhuc non poteſt procedere opin.Hoſti.& Card.in caſu noſtro. Quũ hîc ſuſpenſio ſit limitata ad triennium:nec etiam procedere poteſt eorũ opi. ſi obmiſsis glo.prædictis ſequamur opinionẽ Pauli, in clem.j.de reb.eccleſ.non alie. quam videtur ſequi Domi. ſuper. d. gloſ. in verbo.ſuſpenſos, dum vult quòd aut lex ponit ſuſpenſionem propter pœnam, aut propter contumaciam:primo caſu,inferior non poteſt abſoluere,niſi eſſet cauſa vrgens:ſecundo,inferior abſoluit,& ſic procedit d.c. Nuper Nã etiam ſecundùm iſtam diſtinctionem non poteſt procedere dicta opinio Hoſti.& Cardi. quia apertè conſtat quòd in caſu noſtro ſuſpenſio non in contumaciam,ſed in pœnam impoſita eſt:& ſic per ſuprà dicta videtur,quòd nõ ſit vera opinio dictorũ Doctorum quò ad caſum noſtrum,quam nuſquam ab alio impugnatam legi. Cùm autem hodie in pluribus locis conſuetudo inualuerit , vt prælati diſpenſent quòd ſine bãnis præcedẽtibus cõtrahere poſsint qui nubere volũt,vt facilè eſt videre in aliquibus diœceſibus,& vt de conſuetudine eadem atteſtatur Petrus de Palude,in iiij.ſententiarum.diſt. xxviij.q.ij. arti.iij.conclu.iij.eodem modo videtur quòd ex tali diſpenſatione celebrãdis nuptiis poſsint intereſſe.

Nuptias ſecundas benedicentes.

CAPVT LXVIII.

VIR & mulier ad bigamiam tranſiens, non debet à presbytero benedici, quia cùm alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet. verba ſunt text. in cap. Vir autem, de ſecundis nuptiis. & ſic ſiue vir, ſiue mulier aliâs receperit benedictionem, non debet benedictio iterari, quia communis eſt vtrique: neque vnus ſine altero eam recipere poteſt, vt notat Hoſtien. in ſumma eiuſdem titu. in §. An licitum ſit, verſ. In aliquibus, qui etiam notat quòd ſi duo trãſeunt ad bigamiam, qui nunquàm fuerunt benedicti, poterunt benedici. Sacerdos autem contrarium faciens ab officio & beneficio ſuſpenſus cum teſtimonio literarum proprij epiſcopi deſtinandus eſt ad ſedem Apoſtolicam, vt in c. j. eod. tit. Ex quo videtur ſecundùm Hoſt. vbi ſuprà, quòd alius diſpenſare nõ poteſt. Quam pœnam cùm tam grauem conſideret Anto. in d. c. j. pro tam leui delicto dicit quòd fortè clericus de quo ibi, benedixit ſecũdas nuptias cõtractas viuente prima coniuge: quod etiam ante eũ ſuſpicatur Io. And. qui tamen dicit hoc nõ patere in decretali antiqua: vt refert Abb. ibi, qui credit hodie imponendam eſſe pœnam arbitrariam attentis circunſtantiis, ac conſuetudine loci. Et licet quidam dixerunt quòd talis ſacerdos eſt ſuſpenſus ipſo facto, tamen Hoſtienſ. tenet contrarium, quem videtur ſequi Anto. ibi, dum refert eius opinionem vltimo loco. Et ſequitur eum etiam expreſsè Abb. licet de Anto. non faciat mentionem. Vnde in hoc delicto

licto cùm pœna non sit imposita ipso iure secundùm communiorem opinionem: & delictum non sit tam graue, arbitrio Iudicis erit puniendus clericus in hoc delinquens.

Virgata ac partita veste publicè vtentes.

CAPVT LXIX.

ANtequàm huius excessus pœnam describamus, sciendum est, quòd virgata vestis dicitur illa, quæ est stripata per diuersos colores, vel cùm pannus de se est planus, aliquid suprà ponitur per modum virgæ vel literaturæ. Partita verò est quæ fit ex diuersis coloribus, vel quæ est scissa, vel diuisa per ferrum, vt per supradicta verba declarat Ioan. Vanchel, in breuiario Clementinarum, Clemen. ij. de vi. & hone. cler. Clericus verò tali vtens veste, beneficiatus per sex menses à perceptione fructuum est eo ipso suspensus, si non beneficiatus, sed in sacris citra sacerdotium per idem tempus redditur eo ipso inhabilis ad beneficium ecclesiasticum. Habens verò dignitatem, personatum, seu aliud beneficium, cui cura animarum imminet, ac alij in sacerdotio constituti, tali vtentes veste publicè, aut infulam, seu pileum lineum publicè portantes in capite sunt eo ipso beneficiati à perceptione fructuum per annũ suspensi. Sacerdotes verò per idem tempus inhabiles ad beneficium, vt in clem. ij. suprà allegata, de vi. & hone. cler. vbi etiam vide alias vestes clericis prohibitas, & pœnas deferentium illas. Nota tamen quòd si clericus vtitur aliqua ex vestibus sibi prohibitis secretò, &

tò,& ſubtus alias veſtes,ita quòd in publicum non apparet,non incurrit hãc pœnam:& idem eſt ſi vtitur talibus veſtibus domeſticè,puta in ſtudio,vel loco ſimili,vel ſi nõ cõtinuè portat,ſed ad momẽtum propter feſtum ſocij ſui, qui doctoratur, vel fit rector aut miles,aut ducit vxorẽ.ita notat Ancha. ibi ſecundò nota.referendo ad hoc Zenze.& tenet hoc etiã Imo.ibi.ij.col.verſ.Quæro quid.Qui præterea notat poſt.Zẽze. quòd ſi clericus propter paupertatem defert veſtes prohibitas nõ incurrit pœnã illius text.Et vide etiam Ioã.de Ana.in rub.de apoſta. vbi aliqua ex prædictis refert & ſequitur, & deciſiones Capellæ Tholoſanæ in quæſt.lij.Item fuit dubitatũ, ſi clericus,cum ſua additione Stephani Aufrerij. Et vide concilium Conſtantiẽſe in ſeſsione xiiij.in tit. de vi.& honeſt.cleri.vbi penitus decernit abolendũ quòd clerici & perſonæ eccleſiaſticæ deferant manicas ad cubitum pendentes, & veſtes longas cum magna & ſumptuoſa ſuperfluitate,maximè fiſſas retro, & in lateribus cum fodraturis vltra oram excedentibus in fiſſuris,& quòd cùm talibus interſint in eccleſiis cum ſuperpliciis,ac aliis veſtibus ad cultum & officiũ eccleſiaſticum ordinatis, maximè intra eccleſias,in quibus beneficiati exiſtunt: & quòd contrarium facientes, vt tranſgreſſores Canonum puniantur:& ſpecialiter ſtatuit,vt quicunque beneficiatus,aut officium in eccleſia gerens in habitu huiuſmodi diuinis officiis præſumpſerit intereſſe, pro qualibet vice à participatione prouentuum eccleſiaſticorũ per menſem nouerit ſe ſuſpenſum, ac tales fructus fabricæ illius eccleſiæ applicentur. Vt autem apertius intelligatur quàm diſpar fuit antiquorum

patr

patrum zelus in procuranda clericorũ etiã in veſtibus honeſtate, non prætermittendum duxi quod in Concilio Matiſconenſi primo, cap. v. ſancitum fuit per hæc verba, Vt nullus clericus ſagum aut veſtimẽta, aut calceamenta ſecularia, niſi quod religionẽ deceat, induere præſumat: quòd ſi poſt hãc diffinitionem clericus aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit, à ſeniori ita coerceatur, vt triginta dierum incluſione detentus aqua tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur. Pudeat ergo hodiernos Iudices eccleſiaſticos delicta grauia ſub prætextu cuiuſdã pernicioſæ pietatis leui coertione punire, cùm patres antiquos tam leue facinus tam duro & longo ieiunio legerint correxiſſe.

Ac comam nutrientes, ſiue relaxantes.

CAPVT LXX.

CLericos nutrire comã Anicius papa prohibuit, vt in cap. Prohibete. xxiij. diſtin. Et præcepit caput radere deſuper in modum ſphæræ: & idem etiam prohibuit Concilium Carthaginienſ. in c. Clericus. de vi. & honeſt. cler. Item etiam Concilium Agathenſe ſtatuit vt clerici qui comam nutriunt ab Archidiano detondeantur inuiti. vt in c. Clerici. ea. diſt. Poſtremò verò Grego. ix. ſtatuit quòd ſi quis ex clericis comam relaxauerit, anathema ſit, vt in c. Si quis. ead. diſtin. vbi gloſ. dicit exponendum ſit, id eſt, fiat. Et eſt etiam text. in cap. Si quis. de vi. & honeſt. cler. vbi gloſ. idem dicit. & vide Abb. ibi, qui notat ex text. quòd clericus non deferens tonſuram peccat mortaliter, quia eſt dignus anathemate.

Ebr

Ebrij.

CAPVT LXXI.

QVI enim ebrietatis crimen paruum esse existimat, audiat Apostolum Paulum dicentem, Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque auari, neque adulteri, neq; ebriosi regnum Dei possidebunt. Cúmque inter tam grauia delicta ebrietas annumeretur, quanta sit eius grauitas apertè perpendat, videátque beatum Augustinum in sermone de ebrietate, qui inter sua opuscula impressus habetur. ¶ Et Isidorum in tracta. de summo bono, in lib. ij. in c. xliij. de ebrietate. Et præcipuè legat obsecro elegantissimam, & mirabilem homiliã Basilij. in primo tomo in homilia xiiij. de ebrietate & luxu. ¶ Vnde quia ebrietas omnium vitiorũ fomes ac nutrix est: ideo placuit Agathensis Concilij venerandis patribus, vt clericus de quo fuisse ebrium constiterit, aut triginta dierum spacio à communione submoueatur, aut corporali supplicio subdatur, vt habetur in capitulo fina. xxxv. dist quæ pœnæ sic fuerunt disiunctiuè descriptæ, vt discretus Iudex quem huic vitio deditum animaduerteret, & quòd à communione priuetur, paruipendere corporali potius supplicio castiget. Et vide Host. in summa, tit. de tempo. ordi. in §. Et cui. vers. Pœna autem. vbi dicit, quòd episcopus, presbyter, vel diaconus deseruiens ebrietati, si non desinat, deponitur. Subdiaconus vel inferior siue clericus, siue laicus communione priuatur. allegat text. in capitu. Si episcopus. xxxv. dist. Si verò semel ebrius fuerit,

tunc

tunc dicit puniendum pœna text. in d.cap.fina. Posterius autem Innocent. iij. in Concilio generali ac celeberrimo Lateranens. disposuit clericum à crapula & ebrietate non abstinentem, & qui à superiore commonitus non satisfecerit, ab officio & beneficio suspendendum, vt habetur in cap. A crapula. de vit. & honest. cleri. { Vnde vt clerici ab hoc vitio cauerent, eorúmque honestati consuleretur, antiqua illa concilia tabernarum etiam ingressum illis inhibuerunt, nisi peregrinationis, vel itineris necessitate cõpulsis, vt in Concilio Laodicensi. & in Sexta Synodo, & in Concilio Carthaginensi iij. & in Concilio generali sub Inno. iij. celebrato. de quibus in c. nõ oportet. & in c. nulli clerico. & in c. clerici xliiij. dist. & in c. clerici. de vita & honesta. clericor. Pœna autem contrarium facienti in illis Canonibus statuta non est, vnde hoc superioribus videtur relictum, vt consideratis frequentatione actuum, & personæ qualitate, & videntium scandalo, ab ipsis puniri debeat. Ex quo videtur parum aduertenter scripsisse Bertachinum, in tract. de Episcopo. in ij. parte in materia degradationis. in §. vl. scias. in ij. tomo. trac. Diuers. Doct. fol. ccxxxvij. nume. xx. quòd deponi debet Episcopus vel clericus, qui retinet vel frequẽtat tabernas, motus prætext. in c. nulli. suprà alleg. qui tamen text. pœnam depositionis non imponit clerico frequentanti tabernam: sed habenti eam, & inibi aliis ministrãti. Quin potius & tũc nõ simpliciter clericũ deponẽdũ dicit, sed disiũctiue disponit quòd aut cesset, aut deponatur. Nec etiam illud probat tex. in c. pen. de vi. & hone. cler. quem etiam allegat Bertachin. vbi suprà pro sua conclusione. }

Forn

Fornicarij.

CAPVT LXXII.

CVM iuxta diui Hieronymi ſententiam à Gratiano deſcriptam xxxv. diſt. in ſumma. Venter mero æſtuans ſpumat in libidinem. Meritò ergo poſt ebrietatis delictum, carnis vitia collocabimus: at cùm fornicatio ſimplex, minus ſit punibilis inter illa, ideo de eius pœna primitus differere libuit. Et in hoc, omiſsis opinionibus, dicendum eſt, quòd pro fornicatione clerici, & in ſacris conſtituti non imponitur pœna depoſitionis: allegantur ad hoc duæ gloſſæ ſingulares in cap. Maximianus. lxxxj. diſt. & in cap. lator. ij. q. vij. quibus dat ſociam Corſetus in ſuis ſingularibus, in verbo fornicatio. in c. Presbyter. lxxxij. diſt. pro quibus dicit eſſe caſum in d. cap. presbyter. ſed pœna arbitrio Iudicis relinquitur. & iſtam concluſionem elicit Decius ex dictis per Abb. in cap. At ſi clerici. in col. xix. verſ. De ſecũdo. de Iudi. quam dicit eſſe communẽ ſecundùm Modernos ibi, qui allegant gloſ. in d. cap. Lator. ij. quæſt. vij. & ibi Ioan. de Fantu. & Imo. in cap. Vt clericorum, de vi. & hone. cler. Et hanc opinionem tanquam communem ſequitur Ana. in cap. Significaſti. colum. ij. de adulte. Et hanc etiã opinionẽ dicit cõmunem Feli, in dicto capitu. At ſi clerici. in princip. in penulti. col, in fin. Et Ioã. de Selua in tractatu de beneficio, in iij. parte. in quæſti. iij. qui plura refert in propoſito. Et Corſetus in d. verbo fornicatio, vbi aliqua fundamenta adducit pro ea, & dicit quòd opinio tenẽtiũ cõtrarium fortè poſſet procedere in epiſcopis & prælatis,

qui

qui cùm dicuntur contrahere matrimonium cum ecclesia non committũt simplicem fornicationem, sed adulterium: & quòd isto modo possent reduci ad concordiam opiniones contrariæ: sed tandem dicit quòd in facti contingentia indistinctè sequeretur communem opinionem in iudicando & consulendo: licet Areti. in c. Cum non ab homine, de iudi. x. col. teneat opinionem Butri. quam dicit esse communem, scilicet quòd deponatur clericus in sacris, ad cuius fundamenta respondet Decius, vbi suprà. {Et quamuis Feli. vbi suprà in prima limitatione post Abb. in cap. fin. in iij. col. de purga. Cano. dixerit in Episcopo esse crimen graue, & sic dignum depositione fornicatio, in fine tamen concludit, quòd dubitat de hoc propter duas glos. quas ibi allegat.}

Concubinarij.

CAPVT LXXIII.

CLericus concubinarius, is propriè dici potest, qui solutam mulierem & corruptam nullóque sibi spiritualis vel carnalis cognationis vinculo coniũctam domi retinet, cum qua consueuit carnaliter commiscere. Si verò illa nupta, virgo, aut coniuncta esset, tunc grauioris delicti nomen sortiretur accessus ad illam habitus, ac sæuiori pœna purgandus, vt infrà latius explanabimus. Consuetudinem verò commiscendi, ideo ad faciendum clericum concubinarium requirimus, quia aliâs vnicus tantùm concubitus fornicarium eum solùm faceret, nec damnandus esset pœnis concubinariorũ. Nec prętęrea in hoc distinguerem, solàne retineatur domi concubina per clericum, an

ſub velamento quòd pediſequa ſit matris, ſororis, amitæ, vel alterius cuius cohabitatio clericis non inhibetur, dum tamen conſtare poſsit, quòd eam habet in concubinam. Concubinarium inſuper cenſerem clericum, qui etiam in aliena domo notam fœminam habet, cui ſolet carnaliter commiſceri, ſi de cõſuetudine cõſtat, & diffamatus eſt in ſua vel ipſius fœminæ vicinia: licet ad effectum concubinatus de iure ciuili aliqui requirant quòd concubina ſit retenta in domo, vt per Bal. in auth. licet. C. de natu. libe. per gloſ. Bar. poſt Dinum in l. Concubinam. ff. de concubi. { & Præpo. in rub. de ſponſa. col. 3. num. 5. } Populus enim, ſiue domi, ſiue extrà habeat clericus concubinam, vocat eum & reputat concubinarium. Quando autem dicatur clericus publicus concubinarius, vide Decretum Concilij Baſilieñ. in ſeſsione xx. in prin. vbi hoc declarat per hęc verba, videlicet, Publici concubinarij intelligendi ſunt non ſolùm hi quorũ concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in iure factã, ſeu per rei euidentiam quæ nulla poſsit tergiuerſatione celari notorius eſt. Sed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & infamatam tenet, & per ſuum ſuperiorẽ admonitus ipſam cum effectu non dimittit. Aduerte tamẽ quòd quãdo clericus tenet publicè concubinam ſicut vxorẽ, & publicè nutrit filios, ita quòd etiam ipſe non audet diffiteri: tunc omnino eſt abſtinendum ab eo, ita quòd non eſt licitum audiri diuina ab eo, etiam ſine aliqua monitione ſuperioris; quia talis eſt ſuſpenſus ab officio & beneficio, ita quòd ſi celebrat incurrit irregularitatem. Iſta colliguntur ex doctrina Abb. in cap. Veſtra. in iij. col. in ij. iij. iiij. quæſt. de cohabitione

cleri

cleric.& mulie.Si verò fornicatio non habet operis euidẽtiam,ſed poteſt probabiliter tergiuerſari:quia cõcubina habitat cum matre clerici,& dicit eſſe pediſequam matris,vel quid ſimile:tunc non procedũt prædicta:ſed debet ſpectari monitio,& eius contemptus ſecundum eum. Cuius opinionem refert & ſequitur Sylueſt.in ſua ſumma, in verbo,clericus. el ij. in §.octauò debet.in ij.quæſt.Et in verbo, concubinarius. in §.iiij. & hanc ſententiã in ſubſtantia ſaltẽ videtur tenere Floren.in iij.parte, in iij.c.tit. xxvij. vbi etiam addit notabile verbum , quòd non ſolùm ſacerdos,ſed etiã in quocunque ordine conſtitutus, etiã in minori eſt ſuſpẽſus ab omnibus actibus ordinum ex notoria fornicatione,& tandiu eſt ſuſpẽſus, quandiu perſeuerat in vitio:& ſi interim exequitur officia ſua,etiam ſemel efficitur irregularis, & indiget diſpẽſatione papæ,ad quod allegat Inno.Hoſtiẽ. Archi.& Anto.quod etiam ſequitur Sylueſ.in d.verbo concubinarius.quam quidẽ ſententiã multùm timere deberẽt vniuerſi clerici in quocũq; ordine conſtituti,& ne illã ignorent, eſſet omnibus illis prædicanda.Quot enim proh dolor, ſacerdotes, diaconi, ſubdiaconi publicè concubinas retinent ea notorietate facti, de qua Abb.in ſua opinione facit mentionẽ,& eodem cõcubinatu durante non ſemel, ſed pluries miſſam celebrãt,Euangeliũ vel Epiſtolã ſolẽniter decantãt, & quòd irregulares ex hoc fiãt, non aduertũt, non in minimũ animarũ ſuarũ diſpendiũ, & prælatorũ ſuorum periculũ, qui eos patiuntur in publico cõcubinatu diutius immorari ac ſordeſcere.Prẽterea circa pœnã huius delicti vide Abb.in c. At ſi clerici.col.xij.de iudic.qui dicit q̃ cum iura in

hoc vario modo disponant, quandoque apponendo pœnam acerbam, quandoque mitem, & quandoque mitius procedendo, mediam viam amplectendo, vt patet ex iuribus per eum allegatis, relinquitur arbitrio superioris, vt consideratis circũstantiis & scandalo inde surgente, & consuetudine patriæ apponat pœnã, quandoq; depositionis, quãdoq; suspẽsionis, & quãdoq; priuationis à beneficiis, quandoq; prius moneat, quãdoq; sine monitione priuet, ex quo constat de delicto. Sibi enim videtur data optio, ex quo varias pœnas & modos procedẽdi à iure reperimus traditos, iuxta not. per glo. in c. fraternitatis xxxiiij. di. & in ç. à crapula. de vi. & hone. cle. & xxj. quæst. ij. in summa. & quod notat Hosti. in c. ij. de cle. non resident. in simili quæst. Ita tamẽ quòd semper in isto delicto Iudex declinet ad mitiorem partẽ: quia pauci vt dicit Gregorius sine vitio incontinentiæ reperiuntur, l. dist. c. { Quia sanctitas tua. in fin. } Et quia ætas nostri temporis &c. & melius est à Deo redargui de misericordia, quàm de seueritate xxvj. quæst. vlt. Alligant. Et vide prædictum decretum Concil. Basilien. in dicta sessione xx. vbi cõtra publicos concubinarios statutum fuit, quòd quicũq; clericus cuiuscunq; status, conditionis, religionis, dignitatis, etiam si pontificalis, vel alterius præeminentiæ existat, qui publicus fuerit concubinarius à perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum trium mẽsium spacio sit ipso facto suspensus; quos suus superior conuertat in fabricam vel aliam euidentem ecclesiarum vtilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur. Necnon quòd huiusmodi publicum concubinariũ teneatur mox suus superior monere quam-

primum

primum nouerit illũ esse talem, vt intra breuissimũ terminum concubinam dimittat, quam si non dimiserit, vel dimissam, aut aliam publicè resumpserit, ipsum omnibus suis beneficiis omnino priuet. Et nihilominus statuit dictum Concilium, quòd tales publici concubinarij vsquequo cum eis per suos superiores fuerit dispensatum post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestámq; vitæ emẽdationem sint inhabiles ad susceptionẽ quorumcunq; bonorum, dignitatum, beneficiorum, vel officiorum. Si autem post dispensationem, vomitu recidiuo ad huiusmodi concubinatum publicũ redierint, quòd sine spe alicuius dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant. Et ne quis cõtemnat illud decretum Concilij, ex eo quòd Concilium Basilienſe non fuit in omnibus ab ecclesia receptum, aduertat quòd ordinata in eodem Concilio ante scissuram in eo facta recipiuntur & allegantur à doctoribus: vt patet videre per Florent. in iij. parte, tit. xxv. cap. ij. §. fi. Et per Feli. in c. Rodulphus. de rescrip. in col. xxviij. versi. Sed re vera, & prædicta sessio xx. dicti Concilij fuit facta ante eius scissuram: vt potes colligere ex dictis Doctoribus, dum allegant constitutionem illam quæ incipit, Insuper ad euitandum scandalum, quæ fuit facta in d. xx. sessione, post dictum Decretũ contra concubinarios promulgatũ. Et istud decretum Concilij Basilienſis de cõcubinariis inuenies insertum in concordatis inter Leonẽ decimum, & Regem Franciæ, & nouissimè commentatũ per Petrũ Rebuffi in interpretationibus per eum factis ad dicta cõcordata: per quẽ vide in principio sui cõmenti ad illud Decretũ triginta pœnas, quas patiũtur con-

cubinarij annumeratis inter eas his quæ colliguntur ex Concilio, quarum plures potius ſunt damna & incommoda concubinatus, quàm pœnæ quę poſſint irrogari per Iudicem. Vnde quæ huiuſcemodi ſunt, pari modo comprehendunt laicos concubinarios ſicut & clericos. Vide tamen Præpo. in capitu. Nullus. xxxij. diſtinct. qui refert Innocen. in capitu. Si autem. de cohabit. cleri. & mulie. tenentem quòd quamcunque viam eligat Iudex, ſiue ſuſpenſionis, ſiue priuationis, debet præmitti monitio: nec Iudex ſine illa ad alterum præmiſſorum procedere debet, cùm clericus non ſit notorius concubinarius: per quem vide poſt Innoc. vbi ſuprà vſque ad quantum tempus debet clericus monitus expectari, & an poſſit purgari mora. Vt autem prælati excuſentur à monitionibus faciendis clericis ſuæ diœceſis in hac materia prudenter faciunt, quando in ſuis conſtitutionibus ſynodalibus monent omnes generaliter, ne concubinarij ſint, contrafacientibus pœnas debitas irrogando. Abb. præterea in capitu. Vt clericorum. de vita & honeſtate clericorum. ponderando verba illius text. arbitratur, quòd ſi clericus concubinarius efficeretur deterior, ſi compelleretur præcisè ad dimittendam concubinam, quòd tunc prælatus tolerando ad tempus peccatum non incurrit: quod dicit notandum Stepha. Aufre. in repeti. cle. j. de offic. ordina. in columna xv. Aduertant autem prælati omnes, & eorum vices gerentes, ne huius doctrinæ colore in concubinariorum correctione torpeſcant: ſed cùm talis toleratio facienda fuerit, certiſsimæ adſint coniecturæ deteriorationis. Nam aliâs facilè illis perſuadebunt libidinoſi grauiora, imò nefanda

fanda admissuros, si cogantur continere.

Matrimonium de facto contrahentes.

CAPVT LXXIIII.

Alixtus papa interdixit contractum matrimonij presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus, & ab illis contracta debere disiungi, & ad pœnitentiam redigi, iuxta sacrorum Canonum diffinitionem præcepit, vt habetur in capitu. presbyteris. xxvij. distinc. hinc est quòd clericus in sacris vxorem ducens, debet compelli ad illam abiurandam, & perdit executionem omnium ordinum, notat Abb. ex text. ibi, in capitulo secundo, qui cle. vel vo. qui nihil aliud allegat, & omisit text. expressum ponentem pœnam delinquentibus in hoc, in capitu. decernimus. xxviij. distin. cuius verba sunt. Decernimus vt hi qui in ordinem subdiaconatus & supra vxores duxerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant. & faciunt etiam verba text. in capitu. de his. eadem distin. vbi tractando de subdiaconibus & diaconibus dicit. Cauendum est tamen his, ne quando suæ sponsionis immemores ad terrenas nuptias vltro concurrant, quod si fecerint, vt sacrilegi rei ab ecclesia habeantur extranei. De presbyteris verò videndus est text. in capit. presbyter. eadem distinct. cuius verba sunt. Presbyter si vxorem duxerit, ab ordine deponi debere oportet. Item efficitur irregularis, vt neque in susceptis ordinibus ministrare possit, nec ad maiores suscipiendos admittitur, vt notat idem Abb. in capit. j. in ij. nota. eodem titu. ex quo venit quòd tanquam irregularis priuabitur beneficiis. An autem sit

priuandus per ſententiam, vel ipſo facto priuetur, ſunt opin. quas refert Stepha. in deciſione ccxxxix. Capellæ Tholoſanæ, in additione. Aduerte tamen, quòd ipſemet Panormi. in cap. At ſi clerici. de iudi. colum. ij. videtur eſſe in opinione, quòd clericus qui ſolutam non virginem de facto duxit in vxorem, ac cum ea fuerit fornicatus, debet deponi. pro quo allegat iura in capitu. fraternitatis. xxxiiij. diſt. & in cap. Si quis ammodo. lxxxj. diſtin. & in dicto cap. ij. qui cle. vel vo. quæ iura, (ſalua tanti patris reuerentia) hoc non probant: imò text. in dicto cap. Si quis ammodo, qui plus videbatur vrgere dicit, à proprio gradu decidat, vſq; dum ad ſatisfactionem veniat: vnde per talia verba videtur impoſita magis pœna ſuſpenſionis temporalis, quàm depoſitionis. Sed pro opinione ſua poſſet Abb. allegare tex. in cap. Presbyter. xxviij. diſt. quem decerpſit Gratianus ex capit. j. Concilij Neocæſarienſis, cuius verba ſunt. Presbyter ſi vxorem duxit, ab ordine illum deponi debere oportet. vbi Archi. exponit, ab ordine, id eſt ab officio & beneficio: quod etiã ibi tenent Domi. & Præpo. licet eum non referant: quamuis gloſ. exponat ab ordine, id eſt ab officio, & non beneficio. Clericus præterea taliter contrahẽs eſt excommunicatus ipſo iure, vt in cle. vna. de conſang. & affini. cuius abſolutio epiſcopo eſt reſeruata, vt per gloſ. ibi, in verbo, obtinere. Redditur præterea ſuſpectus de hæreſi, vt procedatur per inquiſitores contra eum, vt notat Ioan. Lupus in repe. rub. { & c. per veſtras. } de dona. inter virum & vxorem. fol. lxvij. colum. iij. verſicu. Ex quo meo iudicio. vbi hoc infert ex his quæ notant Butri. & Bald. in l. iij. C. de { ſumma trinit. & fi-

de

de catholi. } loquendo de monacho matrimonium contrahente. Debent præterea in hoc aduertere iudices, quòd preter pœnas suprà dictas debet in sacris constitutus pati pœnam stupri, si virginem violauit sub figura matrimonij. Neque ex hoc quòd verba de præsenti seu benedictiones præcesserint, ab illa excusandus est, quin potius grauius puniendus, eo quòd virginem sub sacramenti colore deceperit, & corruperit, quæ velut vxor consensit in copulam, vnde propter talem dolum vltra ordinariam pœnam depositionis, arctiori carcere vel monasterio detrudi debet, quàm pro alio simplici stupro. Mulier insuper ab ipso sic seducta tantæ posset esse nobilitatis & honoris, tantúmve populi scandalum, vt meritò clericus in hoc delinquens publicis verberibus, vel alia publica correctione puniendus esset: quando suæ personæ qualitas hoc non impediret, argumento eorum quæ notat Præpo. in capitu. ij. de sponsa. duo. referendo Anto. quòd Iudex attenta qualitate personarum poterit arbitrando punire pœna mortis illum qui viuente prima vxore contrahit cum secunda: puta si ignobilis vxorem habẽs contrahit cum nobili, & illudit illam. { De qua tamen doctrina Anto. vi. Augusti. in addi. ad Ang. de male. in parte che mai adulterato. fol. 152. nume. 65. } Clericus verò beneficiatus in minoribus ordinibus constitutus, si contrahit matrimonium, eoipso vacant beneficia, vt tenet Collec. in cap. j. de cle. coniu. & decisio Capellæ Tholosanæ suprà allegata. { & Sylue. verbo, clericus. lo ij. §. iiij. } Et hoc etiam si nõ sequitur copula, notant Docto. in d. cap. j. Nec recuperant beneficia sponsa ingrediente monasterium,

vt per eos ibi:& notat etiam Ioan.de Imo.in clemen. gratiæ. de reſcript. in col. ſuper gloſſ. reſignaueris. Præpo.in cap.Placuit.xxxij.diſtinct.prope fi. Quod inſuper procedit etiam ſi matrimonium cõtractum ſit nullum:vt notat Ioan. And. in cap. Ioannes.de cle. coniug. Roma. conſi. cccclxxxiij. dubitatur primò, col.iij.Hippoly.conſil.lxx.volu.j.col.iij.incipiente, Scientiarum omnium.Stepha.in addi.ad dictam deciſionem Tholoſanam. qui ſolùm allegat Bar. Brixien.& Ange.de Clauaſio.Confirmatur iſta ſententia doctrina mea magiſtrali.clxxxj.incipienti,Pœna etiam faciendo, vbi de iſta concluſione fit mentio: quam vide, quia aliqua referuntur in contrarium remiſsiuè. Et vide Decium in conſil. clxvj. volum. j. Ego Philippus Decius, vbi refert Bartho. Brixien. in quæſt.x. Et Cardi.Imol.& Abb.in d.c.j.& Roma. in d.conſi.tenentes quòd clericus in minoribus conſtitutus ſi contrahit matrimonium cum conſanguinea,nunquam admittitur ad beneficium,quia illi facto ſuo renunciauit. Et quia ipſe in principio illius conſilij tenet quòd talis clericus non ſit ipſo iure priuatus beneficiis,reſpondet ad dictam doctrinam Brixienſis & aliorum,quòd non habeat locum quando clericus in minoribus contraxit ſcienter in gradu prohibito,quia tali caſu ex quo ſciebat matrimoniũ non valere, non videtur habere animum abdicandi beneficium à ſe:quod dicit tenuiſſe Imo. in cle.gratiæ.de reſcrip. Et ſic quòd dicta concluſio doctorũ reſtringatur, quãdo ignoranter cõtraxit tale matrimoniũ:& dicit ibi,quòd in dubio præſumitur ſcientia in coniuncto quòd ſciat coniunctionẽ quam habet cum alio. Et licet Decius ibi poſteà in fi.det aliam

& vltimam reſponſionem ad dictam concluſionem Doctorũ, videlicet, quòd non ſit vera in hoc ſaltem, quòd talis nõ perdat ipſo iure beneficium, ex ratione de qua per eum. Mihi tamen plus placet diſtinctio præcedẽs, & ſic quòd quãdo probaretur quòd ignorans conſanguinitatẽ cõtraxit, tunc ipſo iure perdat beneficium, quia viſus eſt facto ſuo illi renunciare. Si verò cõtraxit ſcienter, tunc quòd priuetur eo per ſententiam: quia licet videatur cõfidere in nullitate matrimonij, vt nõ perdat beneficium ipſo iure, ſufficit quòd facit actum incompatibilem cum beneficio, vt eſt matrimonium contrahere. Imo. tamen in d. clem. gratiæ. videtur tenere contrarium, videlicet quòd quando impedimentum conſanguinitatis erat notũ vtriq;, vel ſaltem clerico, quòd non perdit beneficiũ, niſi proceſsiſſet ad copulam, quia tunc propter affectum cum opere ſubſecuto ſaltem eſſet priuandus. argu. cap. nuper. de bigamis. Effectus enim huius diſtinctionis maximus eſt, nam in primo membro non poterit ſic contrahens renuntiare beneficio in fauorem alterius. Secundò verò ſic antè quàm deponatur, ex doctrina illa magiſtrali Innoc. in c. Cum noſtris. de conceſ. præbend. quam ego latius ornaui in meis doctrinis, num. cxx. incip. Homicida. Vide præterea in hoc articulo notabilem diſtinctionem Præpoſi. in d. capitu. Placuit, videlicet quòd ſi matrimonium non tenet propter conſanguinitatem, vel aliud ſimile impedimentum, quòd tunc clericus perdit beneficia. Si verò non tenet ex defectu conſenſus, tunc non. Cõſidera tamẽ quòd hoc poſſet intelligi quando defectus conſenſus fuit in ipſo clerico. Si tamen fuit in muliere, puta quia per vim fuit cõpulſa contrahere

trahere, ipso clerico purè & liberè consentiente: vel quia mulier non erat sanæ mentis, non video quare non perdat beneficia, sicut quando contrahit cum consanguinea, quod apertè colligitur ex distinctione quam facit Imo. in dicta clemen. gratiæ, quem non refert Præpo. Quando autem contraheret cum minore duodecim annorum, licet per verba de præsenti, cùm illa resoluantur in sponsalia de futuro: videtur dicendum quòd non perdit clericus propter illa, sua beneficia, nisi quando adueniente legitima ætate in muliere matrimonium sic contractum ratificaretur, modis de quibus per text. glos. & Docto. in capitu. Vnico. de desponsa. impu. lib. vj. Sed contrarium fuit decisum per dominos de Rota in antiquis decisi. ciij. incipien. Nota, quòd vbi clericus. {Et vide Ioãnem Staphileum in tractatu, de gratiis expectatiuis. folio 74. versicu. quapropter vt saluetur. Vbi dicit, quòd illa decisio Rotæ procedit in terminis in quibus loquitur, videlicet quòd tunc demum clericus perdit beneficium, quando minor cum qua contrahit peruenerit ad pubertatem, vel quòd intelligatur de impubere proxima pubertati: quem etiam vide in sequenti folio, versicu. posset tamen. vbi dicit, quòd clericus contrahens de facto cum minore non proxima pubertati, siue cum furiosa, aut consanguinea perdit beneficium mero iure, neque illud potest retinere absque dispensatione, saltem Episcopi.}

*

Monia

Monialibus.

CAPVT LXXV.

CLericus tale facinus perpetrans ſponſam Chriſti corrumpit, & committit tria peccata, ſacrilegium, adulterium, & inceſtum, quò ad accuſationem, quia de omnibus his poteſt accuſari, vt per gloſſ. nota. in capitu. Virginibus. xxvij. quæſtio. j. quam ſequitur Abb. in capitu. At ſi clerici. de iudi. colum. xij. & in capitu. penulti, iij. nota. de purga. cano. { & in capitu. monaſteria. in fin. & in capitu. vt clericorum. num. 6. de vita & honeſtate clericorum. } cuius pœna eſt vt deponatur, ex diſpoſitione text. in capitu. Si quis epiſcopus. xxvij. quæſtio. j. ab officio & beneficio, vt per gloſſam primam, dum allegat capitu. Si quis ſacerdos. Et vide Ana. conſi. j. colum. ij. verſicu. Secundo quòd fama. vbi per dictum capitu. Si quis epiſcopus. tenet, quòd iſtud delictum eſt de maioribus merentibus perpetuam depoſitionem, dato quòd talis fornicatio cum moniali non ſit notoriè ſcandaloſa, vel diu continuata: & dicit hoc ita declarare pulchrè Anto. in dicto capitulo, At ſi clerici. Et vide Hippoly. in repetit. l. Vnicæ. C. de rapt. virginum. numero xlj. vbi tenet quòd clericus in hoc delinquens debet priuari officio ſuo, & detrudi in monaſterium, per text. in capit. Si qua monacharum. xxvij. quæſtio. j. & per dictum capitu. Si quis. { per quem textum, vide quod dicit Abb. in capitu. clericus. numero 2. de vita & honeſtate clericorum. } Et vide Paul. Grillandi in tracta. de pœnis omnifariam coitus, in j. quæſt. circa fin.

ver. Secundo verò casu, vbi per eadem iura dicit, quòd clericus cuiuscunque gradus vel dignitatis deponitur propter hoc delictum ab omni ordine sacro, & priuatur omnibus beneficiis, & detruditur in arctum monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam: quem vide prius per duas col. præcedentes declarantem, quomodo in hoc crimine quatuor crimina committãtur: & an possit reus de vnoquoque pariter accusari & puniri: & quæ vtilitas resultet quòd quis possit accusari & puniri de pluribus delictis differentibus specie, & descendentibus ex eodem facto. Cardi. tamen de Turre cremata in d. capitu. Si quis episcopus. dicit quòd tunc propter hoc deponatur clericus, quando in notitiam populi deuenerit, aliâs secus, per id quod notatur in c. Non debet. xxx. quæst. j. Et dicit hoc velle glos. ibi posita in eo. c. Si quis episcopus. Quæ tamen si bene considerentur non probat, quia nihil aliud dicit, nisi allegare c. Si quis. xxx. quæst. j. & ideo contrarium credo verum, cum d. c. Si quis episcopus. simpliciter imponat pœnam depositionis, & delictum in se tam graue sit, in quo tria vt prædiximus committuntur delicta. Et hoc videtur velle Ioan. de Ana. vbi suprà referendo Anto. Nec obstat quod dicitur in d. cap. Non debet. quia cùm ille text. imponat pœnam delicto longè diuerso, & quod est grauius in consideratione populi, quàm in seipso, videlicet quòd clericus commisceatur mulieribus quæ ei peccata confessæ sunt, nimirum si considerat, an populus id intellexerit. Notum est enim quòd ex confessione nõ contrahitur cognatio spiritualis, & sic non potest dici incestus: & si confitens fœmina non est nupta,

nec

nec virgo, non est adulterium, nec stuprum, est igitur sola fornicatio qualificata, tantò grauior, quantò maius scandalũ affert in populo. Abhorret namque populus simile facinus, & meritò: quia si non sic punirentur in hoc delinquentes, difficillimè præstarent homines licentiam filiabus, seu consanguineis accedendi ad sacramentum pœnitentiæ. Vel potest aliter intelligi text. ille, vt in cap. sequ. tractabimus, vbi examinatur materia illius. Vnde concludendo in hoc delicto sacerdotem conuictum de accessu ad monialem, nullo discrimine habito deponendũ censeo, & deponerem si casus se offerret, & in monasterium seu carcerem ad tempus aliquod iuxta personæ qualitatem, & delicti continuationem, & populi notitiam commensurandum detruderem.

Spiritualibus filiabus se commiscentes.

CAPVT LXXVI.

Sacerdotes qui cum filiabus spiritualibus fornicantur, graue adulterium committunt: & qui malum exemplum dant hominibus, ab omni officio deponuntur, & peregrinando duodecim annos pœnitere debent, & tandem ad monasterium vadunt, vbi per totum tẽpus vitæ Deo seruient. ita disponit tex. in c. Si quis sacerdos. xxx. quæst. j. & licet ille text. videatur loqui de filia spirituali simpliciter, idẽ est si fornicatur cũ ea quæ propter sacramentũ pœnitẽtiæ fuit filia spiritualis effecta, vt probatur in c. Omnes. qui est text. præcedens d. c. Si quis. qui dicit omnes quos in pœnitẽtia accipimus, ita filij nostri sunt vt in baptis-

mate

mate ſuſcepti.& ſubdit, quòd qui hoc ſcelus perpetrauerit,non ſolùm dignitatis honorem amittat,verùm etiam vſque ad exitum vitæ ſuæ iugi pœnitentiæ ſe ſubdat : quod gloſ.ibi finalis intelligit de pœnitentia interiori.Sed poſtea text.in capitu.fina.ead. cau.& quæſt. dicit quòd presbyter qui cum mulieribus quæ ei fuerint ſua peccata confeſſæ ſe commi ſcuerit, ſic pœniteat quomodo de filia ſpirituali : & declarat quòd pœniteat duodecim annos, & quòd deponatur, in quo videtur declarare text. in dicto cap. Omnes.dum determinat tempus pœnitentiæ,& quòd amiſsio dignitatis, de qua ibi, ſit depoſitio. Addit tamen verba quædam quæ nimiùm reſtringunt pœnam huius delicti, videlicet ſi in conſcientia populi deuenerit:quod ego intelligo,id eſt ſi hoc teſtibus probatum fuerit:ſatis enim in notitiam populi venit delictum quod teſtibus comprobatur, quaſi velit text. mitiori pœna puniendum ſacerdotem, quando hoc delictum in occulto reuelatur ſuperiori. Vnde ego conuictum clericum de hoc delicto indiſtinctè deponerem, imò & tempeſtate hac carceri alicui per aliquos & non paucos annos manciparem.Oportet namque in his diebus quibus(peccatis noſtris id promerentibus) admirabile hoc ſacramentum pœnitentiæ,ſpiritualium omnium infirmitatum ſingularis & vnica medicina ab hæreticis impugnari, ac euerti curatur, ſacerdotes in hoc delinquentes acriter puniri: ne ex eorum delictis anſa præſtetur hæreticis,néve frigeſcente charitate ac timore Dei, occaſio detur maritis ac patribus vxores, ac filias ab hoc ſacramẽto retrahendi.& vt rarius ad illud accedant, procurãdi. { Quo zelo religionis & honeſt

honeſtatis accenſus bonæ memoriæ præſul ille dignisſimus Ioannes Mattheus epiſcopus Veronenſis, ſcelus hoc tãquam grauiſsimum graui animaduerſione puniendum ſtatuit, cuius ciuitatem & diœceſim dum ego tranſirẽ, Concilij Tridentini gratia in Italiam accerſitus multa mihi admirãda eius opera & omni imitatione digna, & quæ paſtorũ illorum ſanctorũ quos antiquitus habuit eccleſia, dum fœlix erat, ſanctitatem redolebãt, relata ſunt. Ille inquã bonus epiſcopus in tit. ix. cap. iij. ſuarum conſtitut. ita diſpoſuit: Si quis cum ea cuius confeſsionẽ audiuit, quicquam inhoneſtè turpitérve egerit, aut eius pudicitiam attentauerit, aut eam ad laſciua & inhoneſta perpetranda ſuaſerit, ſi non eſt deuentum ad actum, tẽporanea pœna acriter puniatur: Si verò ad actũ turpitudinis deuentum eſt, beneficiis officiiſq; eo ipſo ſuſpenſum priuatũ, perpetuiſq; addictũ vinculis volumus, & declaramus. } Et eadẽ depoſitionis pœna puniendum crederẽ clericum cognoſcentem illam quã tenuit in ſacramento cõfirmationis, cùm eodem modo ſit effecta eius ſpiritualis filia: & ideo cognatio contracta ex tali ſacramẽto impedit matrimoniũ, & dirimit contractũ, vt in c. j. §. fin. de cogna. ſpirit. in vj. quia text. in d. c. Si quis. indiſtinctè loquitur de filia ſpirituali. Fateor tamen q̃ cùm hoc delictũ non ſit ita graue in oculis hominũ, nec in eo adſit incõueniens quod in caſu præcedenti deſcripſimus, in aliis pœnis vltra depoſitionem iniungendis, mitior poterit eſſe Iudex. Et q̃ ſacerdos cognoſcens filiam ſpiritualem deponatur, notat Abb. in c. fin. de purga. cano. & tenet etiam Ioan. de Ana. per ſuprà dicta iura in c. Cum dilectus. de accuſat.

col.ij.& in c.Significauit,de adul.col.pen. Felin. in c. At si clerici. in princ.col.fin. de iudi. & ibi etiam hoc sequitur Decius col. xxj. vers. Secundò limitatur. Et sequitur hoc etiã Io.de Selua, in tract.de beneficio,in iij.parte, in quæst. iij.in fin. Et aduerte ꝙ filia dicitur,quæ sit de parrochia eius,vt ponit idem Decius ibi allegando Abb.vbi suprà. Et sequitur etiam Ioan.de Selua,vbi suprà.Crederem tamẽ quòd licet vera sit hæc conclusio Doctorũ istorum,quòd si sacerdos cognosceret filiam parrochiæ suæ nullo alio sibi vinculo spirituali coniunctam , quòd non propter hoc esset deponendus , sicut in aliis præcedentibus casibus, cùm esset magna extensio iurium pœnalium, & est nõ minima disparitas delictorum: quamuis tale facinus committens non leuiter puniendus est: { de cuius quidem delicti grauitate nos omnes præsules idem. Bonus verò nihil admonuit. dum in supradicto tit.ix.cap.ij. In cõmittentẽ illud ita seuerè sub hisce verbis insurgit: Sacerdotem illum , qui se cũ parrochiana sua cõmiscuerit in xxv. ducatos condemnamus, eum perpetuo ab exercitio curæ suspẽdentes,postquã per annum in carceribus corpus suũ ieiuniis & abstinentiis maceraturus permanserit, & à ciuitate & diœcesi per decennium sit exul. } An autem eadem pœna puniatur qui cognouit commatrẽ suam : videtur quòd sic per suprà dicta, & quia magis est abstinẽdum à cognatione spirituali,quàm carnali,quia à venerabiliori parte procedit , vt notat Abb.in d.cap.fin.col.pen. de purga. cano. Vnde dicit ipse quòd nunquam legitur ecclesiam Romanam dispensasse in cognatione spirituali. Cùm enim pœna incestus sit depositio , vt infrà habes

habes in parte incestus, à fortiori erit in hoc casu, & simili, vbi quis cognoscit cognatam spiritualem, præcipuè quia delicta huiusceinodi etiam in opinione populi grauia iudicantur: & hoc de commatre videtur tenere Felin. in d. cap. At si clerici. d. col. fin. de iudi. facit etiam in huius opinionis fauorem. l. xiij. tit. ij. partita. iiij. quæ enumerat inter exempla incestus, quòd quis coëat cum commatre sua.

Stupri.

CAPVT LXXVII.

STVPRVM propriè est virginum illicita defloratio, sic enim diffinit text. in cap. Lex illa. xxxvj. quæst. j. licet aliâs stuprũ aliquando comprehendat alia crimina, vt dicit glos. ibi, in verbo propriè, & glos. in capit. Nemo. xxxij. quæst. iiij. in verbo stuprum, & clericus virginem stuprans deponitur, notat Abb. in c. At si clerici. col. xij. de iudi. allegat text. in c. Si quis clericus. lxxxj. distinct. & in c. Lator. ij. quæst. vij. Illi tamen text. non disponunt in stupro cõmisso cum virgine, vt ex eis patet: & q̃ istud delictum sit depositione dignum placuit eidem Abb. in c. ij. de adult. qui etiam credit clericum posse cogi ad dotandam virginem ab eo corruptam, & refert etiam idem Abb. ibi Ioan. And. referentem magistrum suũ, qui dicebat quòd in hoc casu cùm clericus nõ posit ducere eam in vxorẽ, deberet corporaliter fustigari. Et quòd pœna stupri in clerico sit depositio est communis opinio secundùm Paul. Grillandi, in tract. de pœnis omnifariam coitus, in c. Septimò videndum.

qui etiam ſequitur doctrinam Abb.in c.Vt clericorum. de vit.& hone. cleri. vbi tenet quòd Iudex eccleſiaſticus poteſt imponere pœnam pecuniariã clerico pro arbitrio ſuo, vltra alias pœnas ſpirituales, quando illæ non ſufficerent, quia illas non timeret, quas ſi non ſolueret, luet in corpus: quia non ſufficit dotare mulierem ſtupratã, nam vltra dotem tenetur ſoluere pecuniariam vel corporalem pœnam ſecundùm eum poſt Abb.in c.ij.{ num.iij. }de adult. Vnum autem in hoc crimine ego opinor obſeruandum,quòd cùm iura Cæſarea grauiori pœnæ ſubiiciant vi corrumpentem virginem, quàm ſpõtaneè, ac illum ſine temporis præfinitione puniant,vt in §. { itẽ lex Iulia,de adulteriis, iuncto §. Item lex Iulia, de vi,verſic. }Sin autem per vim.inſt.de publi.iudi. & in l.mariti.§.fin. ff. de adult. quòd eodem modo iudex eccleſiaſticus ſeuerius punire debebit vi perpetrantem tale facinus, vt ſic vltra depoſitionem in arctum monaſteriũ vel carcerem trudat delinquentẽ. Et pro pleniori declaratione huius capituli operæprecium eſt de aliquibus quæſtionibus dubitare. Et primò quid ſi clericus de ſtupro virginis accuſatus exciperet & probaret apertè ipſam ſponte cõſenſiſſe: puta ſi teſtes iurant eam attraxiſſe illũ ad concubitũ veniendo ſæpius ad lectum eius eo repellente illam, vel aliud ſimile. In qua quæſtione videtur dicendum quòd non obſtante puellæ conſenſu propter ſtuprũ puniri debeat clericus, & ad præſtationem dotis condemnari, per id quod notat Ioan. de Ana.in d.c.j.de adult. in j.notabili. vbi poſt Docto. dicit quòd licet virgo non ſit ſeducta,ſed illa ſponte acquieuit, adhuc habet locum diſpoſitio illius

text.

text.quia virgo præſumitur ſeducta & deceptá,per text.notabilem.in d.l.circa fin.C.de rapto.virg.qui diſponit quòd pœna eius habeat locum ſiue volentibus, ſiue nolentibus virginibus illud facinus perpetretur. Ex ratione, quia hoc ipſum velle mulierũ ab inſidiis nequiſsimi hominis qui meditatur rapinam inducitur:ſed ſalua eius & Doctorum autoritate non videtur ſua concluſio procedere ſaltem ex ſuis fundamentis. Primò quia ratio eorum nõ concludit, Virgo præſumitur ſeducta & decepta, ergo etiam ſi ipſa ſponte ſe obtulit, procedat pœna illius text. quia illa ratio procedit quando ſumus in dubio:ſed quando conſtat de voluntate ſine ſeductione, aliter videretur dicendum. Secunda non obſtat text.in d.l.j.quia non ſequitur, pœna contra raptores,de qua ibi procedit etiã volentibus virginibus. ergo eodem modo procedat pœna de qua in d.c. j. qui text. loquitur per verbum ſeduxerit , quod debet aliquid operari.Facit etiam quòd text.in cap.ij. eod.tit.de adult.in quo imponitur pœna committẽti ſtuprum dicit,virginem ſtupro decepit. Vnde videtur in hoc (ſaluo meliori iudicio) dicendũ quòd à pœna ſtupri criminali imponenda clerico non excuſetur,etiam probata voluntate puellæ : non enim voluntas conſocij criminis debet excuſare à pœna delicti , quando culpa illius nõ conſiſtit in ſola violentia actus,ſed in reprobatione ipſius quàmtumuis voluntarij, quàmuis operari debeat vt nõ tanquam violentus ſtuprator puniatur. Quantũ autẽ ad præſtationem dotis videtur dicendũ, ꝙ clericus probata vera voluntate puellæ ſine ſeductione non debeat cõdemnari : potuit enim puella in hoc ſibi præiudi-

care; vt voluntariè, & non ſeducta hoc patiẽdo perderet ius petẽdæ dotis, quod voluit Aſtẽſis in ſumma, lib. ij. tit. xlvj. in c. incipienti, Sequitur videre de tertio, allegando Rodonenſem, dũ dicit quòd ſi defloret quis voluntariam nõ tenetur. Ad cuius etiam confirmationẽ bene facit ſententia Guillelmi, quem refert Florent. in ij. parte, tit. v. c. vj. §. j. quòd ſi quis defloratvirginem voluntariam non tenetur ei ſatisfacere in foro conſcientiæ, quod etiam notat Silueſt. in verbo luxuria, in verſi. Quintò quæritur, & Tabiena, in verbo reſtitutio. in §. xxij. incip. quid de eo. Et allegat vterq; Bonauenturam hoc tenentẽ. Vnde videtur quòd ſicut talis clericus in foro conſcientiæ eſt liber à præſtatione dotis ex ſententia doctorum Doctorum, ſic & eodem modo videtur abſoluendus in foro cõtẽtioſo per Iudicem eccleſiaſticum, quem decet ſemper ſequi veritatẽ. Sed quãuis iſta concluſio poſsit ſuſtineri, multùm debent Iudices aduertere antè quàm illam ad praxim adducant in iſto caſu propter difficultatem ſufficientis probationis quæ in hoc requirenda eſt, vt verè conſtet virginem non ſeductã, ſed voluntariè fuiſſe defloratam, & facilè poſſent decipi per ſtuprãtem clericum in probatione voluntatis. Vnum tamẽ in hoc videtur eſſe ſine dubio: ꝙ licet voluntas puellæ liberaret clericũ, hoc eſſet ſolùm verum, quãtum ad ius quod ipſa aliâs haberet, nõ tamẽ liberaretur ab hoc quòd ſi pater virginis accuſaret clericũ de ſtupro, debeatur illi æſtimatio damni ſibi prouenientis: quia maiori eget pecunia ad dotandũ eam, & etiam iniuriæ quæ ſibi illata eſt: quod firmat Floren. vbi ſuprà ſic limitãdo prædictam concluſionẽ: hoc tamen & pa-

ter

ter perderet, si etiam ipse de lenocinio vel consensu cõuinceretur. Ex quibus etiam inferri potest quòd si de precio stupri conuentum esset cum virgine vel parentibus, quòd tũc sola precij præstatione liberaretur ab onere dotandi accusatus ab eo, cũ quo conuentionẽ fecit: dum tamen cõuentio solius filiæ parentibus non noceat, nec ecõuerso. Secũdò quæro, quid si clericus in sui defensionẽ exciperet ac probaret, quòd post corruptionem mulier inuenit virum eiusdem cõditionis & qualitatis ac si esset virgo: & in hoc credo quòd licet posit dãnari clericus propter stuprũ (nisi cõditio mariti processum & pœnã publicã impediret) nihilominus absoluẽdus esset à præstatione dotis, cùm illa in hoc non esset passa damnum. Si tamen propter stuprum nupsit viro deterioris conditionis, tunc crederẽ arbitrio iudicis esse satisfaciendum ei, cùm constet eam pati damnum ex inæqualitate mariti, puta si propter hoc virũ pauperiorẽ sortita est, à quo debiliora alimenta recipit, imò si non pauperiorẽ, sed ignobiliorem virũ sortiretur, adhuc crederem esse satisfaciendum sibi, quia verè passa est damnum in honore, qui maiori precio haberi solet quàm diuitiæ. Tertiò quæro qualiter iudex arbitrabitur dotis æstimationẽ in hac materia præstandã? Et in hoc distinguo, ꝙ si pater puellæ pauper est, clericus dãnabitur ad integrã dotẽ puellæ, in quo consideranda est consuetudo loci, videlicet quantum solet in dotẽ dari puellæ similis conditionis, & defloratæ: considerabuntur etiam facultates clerici cõdemnandi, vt probatur in d.c.j. iuncta glo. fin. Si verò pater illius diues est, non videtur cõueniens quòd ex stupro clerici ipse lucretur totam

dotem filiæ ſuæ, & ſic quòd integrã habeat à clerico: ſed quòd clericus ſoluat arbitrio Iudicis illud plus quod pater eſt conſumpturus in maritando filiam, eo ꝙ eſt deflorata, quia in hoc videtur pati damnum, & quod videbitur Iudici ſoluendũ ratione iniuriæ ſibi illatæ ſi hoc petierit. Et ex prędictis videtur poſſe inferri, quòd ſi puella eſſet parẽtibus orbata & diues, vel ſi ipſis ſuperſtitibus, & pauperibus exiſtentibus, ipſa aliunde haberet ſufficientẽ dotem, quòd tunc clericus non teneretur ad totam dotem, ſed ad illud quod plus eſt ſecum in dotem datura propter defloration em. Quartò quæro, an liberari poſsit clericus à præſtatione doris ſi Iudici oſtendat, vel probet liberationem vel remiſsionẽ eius factam ab ipſa puella? In quo videtur dicendũ quòd ſic: quia cùm hoc ſit in eius fauorem ſtatutũ, poteſt illi renunciare, & ſic clericũ liberare, ſi ſui iuris eſt, quia patre inuito ad quẽ pertinet filiam dotare, hoc clerico non ſuffragabitur. Debent tamen iudices in hoc eſſe cauti vt videant, ne liberatio illa facta clerico ſit à puella metu aut dolo extorta, vt poſſet facilè contingere. Item etiam ne ſit facta ab ea vt liberius poſſet luxuriari non nubendo: quia tunc decẽs videretur vt etiam ipſa nolẽte clericus damnaretur ad dotẽ, & illa per iudicem ſuaderetur ad matrimonium, & ſaltem Iudex faceret quod poſſet. Præterea & quintò libet etſi rariſsimam poſsibilem tamẽ, & aliquoties contingẽtem mouere quæſtionem, videlicet quid ſi mulier, vel mulieris pater conqueratur de clerico, quòd ipſam ſine violatione pudoris prẽgnantem effecerit, & petat clericum de ſtupro puniri, & ad præſtationem dotis compelli, cùm neceſſe

ſit

ſit adueniente partu virginitatem amittere:an clericus poſsit de ſtupro damnari,& condemnari ad dotem?Pro cuius quæſtionis deciſione,ſi ſequamur iura in quibus cauetur quòd delinquens, & faciens rẽ illicitam punitur non ſolum de actu illicito, ſed & de eo quod præter eius intentionem fuit ſequutum, vt in l.j.§.Ex incendio.ff.de incen.rui. naufra. & in l. Si quis aliquid. §. abortionis. ff. de pœnis. & in l. quoniam multa. C. ad l. Iuliã.de vi pub. & in l.iij.§. adiectio.ff.ad l.Corne.de ſicar.& in cap.fi. de homi. in vj. Videtur dicendũ quòd iſte non ſolùm damnabitur pœna ſtupri,ſed condemnabitur ad præſtationem dotis,præcipuè quia debuerat cogitare cùm ad virginem acceſsit,hoc poſſe contingere,& difficulter poſſet probare quòd eius intentio nõ fuit quòd virgo corrumperetur, nec quòd eius extraordinaria pollutione virgo prægnans efficeretur, imò potius contra ipſum præſumendum eſt, quòd nõ propter eius temperãtiam,ſed propter virginis reſiſtentiam ſtupri actum non conſummauit. Fateor tamen quòd pœna imponenda in hoc caſu propter ſtuprũ cùm à principio non fuerit conſummatum mitior eſſe debebit, etiam ſi mulier violenter oppreſſa vel ſeducta probaretur. Quòd autem virgo concipere poſsit ſalua virginitate abſq; miraculo ſcribit beatus Thomas in quolibeto vj.arti.xviij.

Inceſtus.

CAPVT LXXVIII.

INceſtus eſt cõſanguineorum vel affinium abuſus, vt diffinit tex.in cap.lex illa.xxxvj. quæſt.j. Pœna huius criminis eſt quòd cle-

ricus deponatur:notat glo.in cap.Nõ debet.xxx.q.j. qui text.loquitur in eo qui cognoſcit filiam ſpiritualem,quæ ſibi confeſſa fuit,non autem in cognoſcente conſanguineam. Et tenet hoc etiam Abba.in cap. At ſi clerici.in col. xij. de Iudi. allegando nota. in cap.lator.ij.quæſt.vij.vbi glo.j.iuncta textui hoc probat etiã in epiſcopo.Si autem clericus primò fornicatus ſit cum aliqua muliere,& poſtea cũ eius cõſanguinea intra quartum gradum, an puniri debeat pœna inceſtus?videtur quòd non ex eo quod notat in propoſito Ancha.in conſ.cccxcj. Videtur prima facie.verſic.Item aduerte.vbi concludit quòd pœna quæ à iure ciuili imponitur pro inceſtu, non habet locũ pro inceſtu poſtea introducto à iure canonico, de quo à iure ciuili cogitatũ non fuit:quia in pœnis prohibetur extẽſio.ex quo dicebat in terminis Hippoly.in ſingu.ccliiij. incip. Ex illicito coitu, quòd licet affinitas contrahatur ex illicito coitu:iſtud eſt verũ,quo ad impediendũ matrimoniũ,ſecus autem quo ad hoc vt quis puniatur de inceſtu. Et refert Auguſt.in addi.ad Ange.de malefic.illam ſententiã Ancha. valde commendare, quam etiam vltra eos ſimpliciter ſequitur Decius conci.cclxviij. Diuino implorato præſidio.col.fin.volu.ij. Contrarium tamen crederem in caſu noſtro, imò quòd eſſet deponẽdus clericus propter hoc genus inceſtus, maximè ſi qualitas illius ſummè grauaret delictũ in oculis hominum:puta ſi cum matre & filia fornicaretur, aut cum duabus ſororibus, aut conſororinis,quia tunc non ſolùm deponendus videtur, ſed detruſioni ſiue carceri mancipandus ad tempus iuxta qualitatem & ſcandalum delicti. Nec obſtat doctrina Anchar. in d.

in d.conſ.& ſequacium: quia contrariam opinionẽ dicit eſſe communem idem Decius in conſil.clviij. in j.vol.incip. Diuino implorato,& pro tenui,vbi latius & notabilius examinat dictam doctrinam: & reſpondet ad fundamenta quæ illi fauent, & ſequitur opinionem Abb.Signo.& Modernorum cõtrarium tenẽtium:& ſic quòd pœna iuris ciuilis habebit locum,vbi nuptiæ ſunt inceſtæ de iure canonico. Et hæc ſententia mea circa punitionem clerici ſecurius ſequẽda eſt in his regnis Caſtellę & Legionis, vbi expreſsè per legem eorum diſpoſitum eſt, quòd ſi quis fornicatur cum muliere conſanguinea alterius intra quartum gradum,cum qua prius idem fecerat,committit inceſtũ. Si ergo laicus reputatur propter hoc inceſtuoſus, & punitur vt talis pœnis ciuilibus, quare non punietur clericus ob id delictũ pœnis canonicis?quia licet lex regia ſiue municipalis non liget clericum, operabitur tamẽ ſemper (meo iudicio) vt Iudex eccleſiaſticus puniat qualitatẽ delicti,ſecundũ quòd illa in laicis qualificauerit, pręcipuè in noſtro caſu,vbi lex ciuilis punit actum à iure canonico intantùm reprobatum, quod decreuit per illum impediri,& dirimi matrimonium.

Adulterij.

CAPVT LXXIX.

ADulterij criminis grauitatẽ,clericis omnibus ſufficiant oſtendere verba pagani illius Abimelech regis ad Iſaac directa Gen.xxvj.c. Dũ reprehẽdẽs eũ quòd vxorẽ ſuam ſororẽ eſſe affirmauerit, dixit:Potuit coire quiſ

quiſpiã de populo cum vxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum. Si enim in ſola lege naturali viuens homo peccatum grande reputauit adulterium, quale debet eſſe in oculis chriſtianorũ, quos eadẽ naturalis ſcripturæ & gratiæ leges quotidie inſtruũt, maximè ſacerdotũ, qui tanquam ſanctiſsimæ Trinitatis menſæ pincernæ angelorũ panẽ virgineo ventre compactum quotidie tractant, & intra præcordia recondunt. At ſi quis magis ſpecificè enormitatem huius criminis intelligere velit, & quomodo ſit de grauioribus peccatis quæ in proximum committuntur, videat Dionyſium Cartuſ. in opuſculo de conuerſione peccatoris, arti. v. vbi hoc oſtendit per plura quæ in eo concurrunt. Clericus autẽ adulter depoſitus ab officio, in monaſterium toto tẽpore vitæ ſuæ detruditur, vt in cap. Si quis clericus. lxxxj. diſt. quod eſt concilium Aurelianẽſe: & quòd propter adulteriũ clericus deponatur, voluit gloſ. in c. lator. ij. quæſt. vij. in gloſ. j. quam ibi ſequitur Archi. & Hoſt. allegando d. c. Siquis, in ſua ſumma, tit. de adult. §. quæ pœna ſit imponenda. Idem tenent etiam Ioan. de Ana. in rub. & in capi. Significaſti. de adulte. Abb. & Moderni. in cap. Vt clericorum. de vita & honeſt. cleri. & in capitu. Peruenit. de adult. Et hanc opinionem tenent Ioan. And. & Ioan. de Imo. in dict. capit. Vt clericorum. vt refert Ana. in d. cap. Significaſti. & eſt communis opinio. Vide tamẽ Paul. Grillandi in tracta. de pœnis omnifariam coitus, incip. Sextò declaranda. vbi in prima & ſecunda col. nititur ſuſtinere contrarium, videlicet quòd clericus hodie propter ſimplex adulterium non debet deponi, & reſpondet ad fundamenta contraria,

& tan

& tandem in col.iij.dicit quòd nihilominus in consulendo & iudicando tutius est tenere aliam opinionem,quæ est communis, & dicit hoc notandũ contra presbyteros incontinentes, qui alienas vxores sollicitant sæpius, & accedunt libenter ad earum concubitum. Incurrit etiam clericus de adulterio damnatus aliam pœnam, nam ex tali sententia infamis efficitur, vt notat Abba. in c. At si clerici. §. de adulteriis.in col. v. versi.Sed circa. de iudi. Et in c. Cùm t.de re iudic.col.iiij.per text. in c. Infames. vj. quæst.j.& in l.j.& ij.ff.de his qui not.infa. sicut etiã efficitur infamis damnatus de aliis criminibus publicis. Est tamen in hoc aduertendum, quòd licet episcopus non possit directò restituere aliquem ad famam,vt concludit Abb. in d.c. Cum t.in col. iiij. in hoc casu tamen adulterij,cùm liceat sibi dispensare, vt in d. §. de adulteriis. restituendo clericum damnatum de adulterio contra sententiam suam, tunc restitutio famæ venit per quandam consequentiam,potest indirectè,quod principaliter non posset.ita notat Abb.ibi, in d.col.v. & dicit ibi casum sing. ad hoc secundum illum intellectum. Et nota secundum Paul.Grillandi,vbi suprà, quòd licet de iure ciuili quando mulier nupta est impudica & meretrix,non punitur adulterans cum ea,{ vt in l.Si ea. C.de adulte.}tamen de iure canonico non euaderet impunitus cum illa adulterans. ita dicit in d.col.iij. Crederem tamen vltra eum, quòd tunc clericus ignorans & accedens ad eam tanquã ad meretricem non puniretur ita acriter, sicut alij adulteri.Si tamen mulier erat honesta non excusaretur clericus ignorans eam cõiugatam quominus vt adulter puniatur.

niatur. Quando autem clericus cognouit mulierem ſolutam, quæ ab ipſo & communiter reputatur vxo rata, tunc enim vti adulterum pœna iuris communis puniendum eſſe, placuit Ioan. de Ana. in capitu. Nonnullis. fin. colum. de Iudæis. referendo fratrem Vbertum qui fuit eiuſdem ſententiæ: licet alij aliter ſenſerint ſecundùm eum, per quem etiam vide quid in caſu contrario quando clericus cognouit vxoratam, quæ credebatur ſoluta. Vnum præterea aduertendum ſentio in hoc propoſito, quòd licet in his Regnis Caſtellæ & Legionis lege regia ſancitum ſit, quòd marito non accuſante vxorem, nullus poſsit eam accuſare de adulterio, Iudex tamen eccleſiaſticus poterit punire clericum in hoc delinquentem: nec reus valebit opponere quòd maritus non accuſet. Non enim potuit lex illa regia eccleſiaſticos Iudices impedire, ne ad emendam ſuorum clericorum procederent. Aliter enim clerici omnes incontinentes libidinem ſuam potius cum nuptis, quàm cum ſolutis mulieribus explerent, quum ſecurius ac impunè id agere cognoſcerent: & ita ego iam aliâs practicaui dū vicariū agerē generalē epiſcopi Salamãtini: & licet ob id appellatum fuerit, obtinui tãdem coram ſuperiore. Veruntamen in hoc magna debet adhiberi cautela: nã ſi adulterium clerici adeò eſt notoriū, maritíq; perſona ita vilis, quòd præſumi poſſit ipſum ſcire & paruipẽdere: tunc iudex eccleſiaſticus poterit publicè & liberè de adulterio tractare, & pœnam imponere. Si verò delictum nõ eſt publicum, aut marito ignotum eſſe creditur, periculúmq; exinde timeri poſsit vxori: tunc conſulerem clericum de hoc delicto conuictum vel confeſſum ca-

mera

merario proceſſu,& familiari diſciplina corrigendum relegandúmque ſine expreſsione cauſæ in ſententia. Quando verò correctio ſic ſecretè facta fuerit,& relegatio generalis:hortor omnes metropolitanos iudices,vt ab inferioribus ſecretè cauſam requirant, ne ex hoc delictum in publicum veniat, ſufficiat illis,quòd iudex inferior iuſtè proceſſerit, licet propter ſecreti cautelam aliquas iuris ſolenitates prætermiſerit. Aliter enim ſi omnia ſtrictè requirãt,nihil aliud efficient,niſi iudices ipſos inferiores cogere ad diſsimulãdũ,vel propalãdũ adulteria ſimilia,ipſóſq; adulteros reddẽt inſolentiores,cũ intelle xerint quòd Iudices ſui immediati illos punire recuſant,propter exactam rationem quam ab ipſis requirunt ſui ſuperiores. Marito autem clericum adulterum accuſante, tunc ſeuerius procedendum eſt: tantóque acrius in aliis pœnis carceris & detruſionis vltra depoſitionem puniẽdus eſt clericus, quãtò honorabilior eſt perſona mariti, aut diuturnius eſt adulterij peccatum,maiúſve exinde ſubortum ſcandalum, præcipuè ſi contigerit quòd adultera fuit per Iudicem ſecularem tradita marito, & ab eodem occiſa. Crederem inſuper in hac materia (meliori ſemper iudicio ſaluo) quòd maritus poteſt accuſare clericum coram Iudice eccleſiaſtico, licet vxorem coram ſeculari non accuſet:nec poterit clericus in hoc aliqua exceptione ſe tueri,cùm iura canonica adulteris pœnam imponẽtia nullam habeant conſiderationẽ,nec requirãt quòd vxor pariformiter accuſetur. Generaliter autẽ in hoc crimine cõſiderẽt eccleſiaſtici Iudices ne nimis diligẽter de adul

teriis

teriis occultis inquirant,propter mulierum periculum, virorum infamiam, & clericorum fragilitatẽ, quę tantò multoties ad hoc flagitium illos impellit, quantò ſecretius illud poſſe perpetrare confidũt.Sed vigilãtes ſuper gregem ſuũ ſimilia potius præſeruare conentur(cohabitationẽ & conuerſationẽ clericorum & nuptarum euitando)quã vſque ad vnguẽ inuenire & caſtigare ſatagant. In qua quidẽ adulteriorũ prudenti præſeruatione,& cauta correctione eccleſiaſticos omnes Iudices deprecor ac obteſtor,vt deſides nõ ſint,per duriſsimũ illud iudicium quod illis qui præſunt ſcriptura ſancta minatur, ne in eorum incuriã ſeuerius id corrigant vltore ferro maritorũ manus,tam grauis iniuriæ acerbitate com motæ, vt ſæpius id eueniſſe perpendimus, & anno ſuperiori milleſimo quingenteſimo trigeſimoſeptimo pluribus notum fuit accidiſſe. Nam in tribus locis de Villanubla, videlicet, & de Cigunuela,ac de Laguna,quæ non longè diſtant ab oppido Valliſoleti,vbi tunc Auguſtæ curia reſidebat in octo ferè menſium ſpacio, filius viduæ cuiuſdam, & duo mariti in tres ſacerdotes ſæuierunt de inimicis mẽbris ſe vindicantes,ob iniuriam in matris & vxorũ perſonas ſuſceptam,non ſine plurimorum laicorum applauſu,& quorundam forſan magiſtratuum ciuilium neglectu ob inhoneſtam ſacerdotum vitam, & ſuperiorum deſidiam:quod hîc ſcribere libuit, quia id bene noui,vt qui proceſſus deſuper confectos vidi,non alio animo,niſi vt hoc ad clericorum timorem ; & ſuperiorum hortatum perpetuæ memoriæ tradere poſſem.

Ac ne

Ac nefandi criminis rei.

CAPVT LXXX.

QVIA ſecundùm diuum Auguſtinum in III. lib. Confeſsionum, { & habetur in cap. Flagitia, xxxij. q. vij. } flagitia quæ ſunt cõtra naturam vbiq; ac ſemper deteſtanda atq; puniẽda ſunt, qualia Sodomitarũ fuerant. Quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur: quæ nõ ſic fecit homines vt ſe illo vterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas quæ cum Deo nobis eſſe debet, cùm eadem natura cuius ille auctor eſt libidinis peruerſitate polluitur. Vnde meritò tale crimen committenti pœna ſtatuta eſt, quòd deponatur ac in monaſteriũ detrudatur, vt in cap. Clerici. de exceſsib. prælato. Huius tamen deteſtandi criminis maior eſſe deberet pœna, cùm ob illud etiam infantibus ac mulieribus ſubuerſarum ciuitatum omnipotens Deus parcere noluit. In his maximè regnis, vbi etiam à facinoroſis aliâs hominibus ſolet (vti decet & tale ſcelus promeretur) abhorreri, vbi etiam leges patriæ grauius mortis genus, quàm ius cõmune delinquentibus infligunt. Nec enim minus promeritus eſt, vt poſt depoſitionem curiæ traderetur, qui Deũ ipſum ac naturam offendit tali facinore, quàm qui ſola motus auaritia & non in Roman. Pontifi. contemptum, neque in fidei ſeu morum perniciem Apoſtolicas audet literas deprauare. Sed cùm ſic placuerit canonum conditoribus, ſolent Eccleſiaſtici Iudices tales poſt depoſitionem perpetuis carceribus obſcuríſq; includere, in quibus niſi eos liberet fu-

ga, miſerrimam & mortem ipſam exoptantem vitam agunt.

Sacrilegi.

CAPVT LXXXI.

SACRILEGIVM eſt iuxta meliorem diffinitionem Doctorum, ſacræ rei violatio, vel eiuſdem vſurpatio: quod nempe delictum cùm & in ipſis laicis deteſtabile ſit, & ad puniendum illud iura inuehant in eos: quantò magis puniri debent clerici qui in hoc deliquerint? Qualis enim erit laicorũ reuerentia in perſonas ſiue res ſacras, ſi in illas ipſi clerici (ad illarum cultum electi) irreuerentes ſunt? Huius autem delicti pœna, depoſitio eſt, vt placuit Hoſtien. in ſumma, tit. de accuſa. §. Quis ſit effectus. verſic. Et gratia exempli, vbi capitalia crimina, & quæ depoſitionẽ inducunt deſcribendo, primum omnium poſuit ſacrilegium. Sed quia hoc ſe habet multipliciter, deueniendum eſt ad eius ſpecies. Quarũ prima eſt quæ committitur in perſonã, & hæc quia multipliciter etiam variari poteſt, non patitur certam doctrinam: oportebit enim Iudicem conſiderare qualitatẽ delicti in perſonam ſacram cõmiſsi, & ſic in delinquentem animaduertere. Secunda ſpecies eſt quãdo quis acceſſum habet ad monialem: & quia de hoc particularis mentio facta eſt ſuprà, ſuperuacaneum eſt in hoc aliquid reſcribere. Tertia eſt quando locus ſacer violatur, vel illius cœmeterium: & hæc etiã ſicut variè ſe habere poteſt, ita diuerſa erit delinquentis punitio, conſideratis his quæ in arbitrariis conſideranda deſcribemus. Quarta verò huius delicti

ſpecies

ſpecies committitur in auferendo rem ſacram, quæ & habet alia membra: & quia hoc ad materiam furti pertinet, & infrà de hoc aliquid ſcribimus in ſuo loco, ideo nihil amplius addere libet.

Vſurarij.

CAPVT LXXXII.

PRAEMISSO prius quæ ſit vſura, & quando committatur, quod latius digeritur in ordinariis titulis ac tractatibus huius materiæ. { Clericis fuit inhibitũ fœnerari & vſuras accipere in Cõcilio Laodicenſi in Canone v. vbi tamen nulla pœna ob id imponitur. idem etiam fuit prohibitum in Concilio Carthaginenſi primo, in Canone xiij. Et ſicut clericis non licet exercere fœnus ſuo nomine, ita neq; alieno, vt in c. Sicut non ſuo. xlvij. diſtin. vbi vi. in cap. Non licet. Relatum Concilium Laodicenſe, de quo ſuprà. } Prima ſe offert pœnarum clerici vſurarij, quòd eſt infamis ipſo iure. hoc dicit probari Panor. ex text. ibi, in cap. Inter dilectos. in iij. not. de exceſ. prælat. Allegat text. cum gloſ. in l. Improbum fœnus. C. { ex quib. cau. infam. irroga. } Et in §. Porrò. iij. quæſt. vij. Idem ſcripſerat Bald. in d. l. Improbú. qui etiam dicit quòd adhuc poſt reſtitutionẽ vſurarum, & peractam pœnitentiam ſunt infames ad teſtimonia & dignitates, & hoc præcipit mente teneri. Hinc eſt quòd vſurarius repellitur ab obtinendo beneficio, vt notat gloſ. in c. Prætereà. de vſur. & Abb. in d. c. Inter dilectos. in ij. col. diſpenſat tamen epiſcopus, vt ibi per eum circa beneficiũ, cum illo qui ſe correxerit. Subeſt etiam vſurariis cleri-

cis alia pœna, videlicet quòd ab officio & beneficio ſuſpenduntur, vt ſtatuit text. in c. Præterea. de vſu. quoto autem tempore ſuſpendantur, cùm text. non aperiat, videtur arbitrio iudicis relictum. ſed text. in c.j.eo.tit. dicit quòd ſi clericus deteſtandis vſurarum lucris inſiſtat, eccleſiaſtici officij periculum patiatur. ex quibus verbis Abb. ibi in vltimo not. colligit, quòd clericus vſurarius debet deponi ab officio eccleſiaſtico, non tamen meminit d.c. Præterea. qui ſuſpenſionis tantùm pœnam imponit. Alexand. inſuper in conſil. lxxij. in j. volu. dicit quòd clericus vſurarius venit deponendus, & neminem Doctorum refert, ſed allegat iura in d.c. Præterea. & c. Inter dilectos. quorum nullo id probatur, cui vix parcendum cenſeo, & ſi ſolùm Cæſarei iuris culturæ vacauerit. Hoſtien. tamen (qui breuibus verbis plura dubia aliquando decidit, quæ tãdem moderniores ipſi verborum phalera ac garrulitate laxarunt) in ſumma de vſur. §. fin. verſi. Alia à Iudice, vnica ferè linea, ordinem dictarũ pœnarum ſcripſit, Ait enim, Vſurarius clericus ab officio beneficióq; ſuſpenditur, & ſi nec adhuc deſiſtat, degradãdus eſt, vt in dict. cap. j. & xiiij. quæſt. iiij. cap. Canonum. & cap. Quoniam. & cap. Si quis oblitus. Itaque ſi clericus deſiſtat à crimine vſurarũ degradationis pœnam euadit, & ſic intelligit dicta iura, pro quo etiã refert Gofred. Et hunc intellectum bene ſuſtinet litera d.c.j. dum dicit, inſiſtat. { Facit etiam text. in c. Epiſcopus. xlvij. diſtin. } Stat ergo ex præmiſsis practica pro iudicibus, vt primò à ſuſpenſione incipiant contra vſurarium clericum. Demũ eo ſe nõ corrigente procedatur ad degradationem cõtra illum.

lum. { Et sic etiam intelligi potest Concilium Elibertinum in Canone xx. qui clericum vsurariũ statuit degradari per hæc verba: Si quis clericorũ detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstinere: quod est relatum in c. Si quis. xlvij. distin. vide prętereà vndecim pœnas manifestorum vsurariorum quas ponit Sylvest. in verbo vsura. Io ix. in §. Quarto quæritur. }

A manifestis vsurarijs oblationes recipientes, eósq; ecclesiasticis sepulturis tradentes.

CAPVT LXXXIII.

POENA in hoc delinquentium est quòd maneant suspensi ab executione officij, donec satisfaciant ad arbitrium episcopi, & restituant quæ receperunt, vt in c. Quia in omnibus. de vsur. Hodie verò sepelientes manifestos vsurarios scienter, sententiæ excommunicationis subiacẽt ipso facto, à qua nullatenus absoluẽdi sunt, nisi prius ad arbitrium diœcesani episcopi satisfaciant competenter, vt in Cle. j. de sepult. Et aduerte quòd pœna illius text. habet locũ, etiam si aliquis de mandato prælati sepeliret talem vsurarium secuhdùm Card. ibi, in iij. q. Quis autem dicatur manifestus vsurarius, vide Abb. in d. c. Quia in omnibus. in fin. vbi post Ioan. And. ibi, & glo. in c. j. eo. tit. lib. vj. dicit, quòd ille dicitur manifestus, qui est notorius de iure, vt quia fuit conuictus & condemnatus de vsuris, vel est notorius notorietate facti, vt quia publicè tenet altare paratum, & mutuat omnibus volẽtibus capere. Et ponit etiã idem Abb. alia exẽpla. & vide Card. in d. Cle. j. in vj. col. xix. q.

vbi per vnam ferè col.hoc examinat, vbi inter alia dicit, ꝙ si per cõstitutiones synodales esset inductus aliquis modus ad hoc ꝙ conuictus secundùm illum diceretur manifestus vsurarius, ille modus sufficeret. Ex quo ego consulerẽ omnibus episcopis celebrantibus synodum, quòd præmissa matura deliberatione cũ iurisperitis in vna suarum constitutionum declararẽt casus, in quibus quis esset reputandus vsurarius manifestus, tũ vt clerici apertius hoc intelligerent, & sic has pœnas iuris propter ignorantiam non incurrerent, tum etiam vt cum tali declaratione facilius homines ab hoc crimine cohiberẽt: quod temporibus istis (proh dolor) adeò inualuit, vt neminem ferè iam id committere pudeat. { Et in hoc articulo, qui dicantur vsurarij manifesti, vide Sylvest. in summa, §. ix. versi. Primo autẽ quæritur. }

Fures.

CAPVT LXXXIIII.

FVRTVM est de maioribus & grauioribus criminibus, vt not. Abb. in c. Cùm contingat. col. vj. de for. compet. allegat text. in c. Cùm non ab homine. de iudi. & in §. Nunc autem. xxvj. distin. Et ideo clericus in furto captus deponitur, vt in cap. Presbyter. lxxxj. distin. qui text. est ex canonibus Apostolorum. & glos. ibi, in verbo captus intelligit & conuictus per sententiam, confessionem, vel euidentiam rei: & ne aliquibus videatur pœna ista grauis, & tanquam ab Apostolis (zelo illo mirabili quo sanctam Dei ecclesiam fundabant) statuta, illam etiam innouauit & inflixit Innocentius III. in cap. Tuæ. de pœnis,

vbi

vbi censuit clericos in latrociniis deprehensos degradatos à suis ordinibus in arctum monasterium debere detrudi. Hostien. insuper scripsit in summa, tit. de condit. furt. in §. fin. clericum de hoc crimine accusatum confessum vel cõuictum deponi debere, & in monasterium detrudi, allegando dict. c. Tuæ. & text. in cap. At si clerici. §. j. de iudi. qui de hoc crimine in specie nihil disponit, allegat etiam text. in cap. Cum non ab homine, qui de pœna depositionis meminit, & si de detrusione nihil dicat. Et vide etiã Hostien. in summa, tit. de accusa. §. Quis sit effectus. versi. & gratia exempli, vbi connumerat inter crimina capitalia, & quæ inducunt depositionem, delictũ furti. Et quòd pro furto clericus deponatur, notat Ioan. Andr. in d. cap. Tuæ, per d. cap. Cum nõ ab homine. Hostien. tamen ibi, vt ipse refert ponderat verbum latrociniis, quia magis deliquit latro quàm fur: & sic videtur velle quòd pœna illius text. non habeat locum in simplici fure, quod Panor. ibi placet, licet Hostien. & Ioan. Andr. non referat, & ponderando idem verbũ latrociniis, dicit quòd ille text. non habet locum in simplicibus furibus: & sic quòd licet clericus pro furto possit deponi, quòd fortè non fiet detrusio post depositionem quia latro dicitur qui de die & cum violentia quandoque delinquit: fur autem noctu & sine ea. Eundem intellectum dat Hostien. ad dict. cap. Tuæ. vt refert & sequitur Cardin. de Turrecremata in cap. Presbyter. lxxxj. distin. & sic ille text. non loquitur de furibus simplicibus, qui non sunt corporaliter puniendi, sed de maioribus & insignibus latronibus, & Aret. in cap. Cum non ab homine. de iudic. col. ix. versi. Ad-

uerte tamen. dicit quòd text. in d.c. Tuæ. in verbo latrociniis, poteſt intelligi de famoſo latrone, qui furca ſuſpenditur, vt in l. Capitalium. §. famoſos. ff. de pœn. Ego verò & ſi iſta nominum differẽtia præter id quod videatur probari in l. cum duobus. §. damna. ff. pro ſoci. Et in l. j. & quod ibi notãt Doct. C. de po. & in Auct. Vt nulli Iudi. §. fin. colla. ix. Auctoribus etiã latinæ linguæ corroborari poſsit. Nã vt Calepino placuit, latrones dicuntur, viarũ obſeſſores, & qui publicè, vel per vim furantur. fures verò qui occulta fraude decipiant, ac nocte furentur, quia tamen ſecundùm eũ plerunq; indifferenter ponuntur, aliter cenſerem conſiderandũ, videlicet potius qualitatem & quantitatẽ furti, modúmq; furandi. Quis enim dubitat noctu ſine violentia grauius poſſe perpetrari furtum, quàm in ipſo lumine ſolis, & cum aliqua vi? præcipuè cùm in Hiſpania noſtra iam conſuetudo inualuerit, quòd pro vno magno furto quis pœna furcæ plectatur. Nec enim ex eo ℣ pontifex in d.c. Tuæ. poſt depoſitionẽ detruſionis pœnam inflixit, ſola à latronibus, & non à furibus commiſſa facinora punire fuit viſus. Poſt depoſitionem namq; adſignari debet monaſterium depoſito, vbi peccata lugeat, & vlterius illa non cõmittat, vt in c. Sacerdos. lxxxj. diſtin. Cùm ergo nihil nouum ſtatuat, quare pontificis mens ad latrocinia puniẽda, & nõ furta adaptari ſeu interpretari debet? præcipuè cùm in Pontificiis cõſtitutionibus, & in ætate illa Innocentij III. qua non ſic florebat eloquiũ latinæ linguæ, nõ ita accuratè elegãs & propria vocabulorum ſignificatio ſeruari ſolebat. Quæ quidẽ pœna depoſitionis & detruſionis iuſtius irroganda

eſt

est clerico, qui furtum admixtum sacrilegio perpetrauerit. Summè enim offendit clericus qui plus cæteris debet sacra tueri, & reuereri, si illa violet, aut offendat in eis. Si autem contingat clericum in obsequio alicuius degentem, furtum committere: cùm hoc delictũ inter furta grauiora annumerari soleat, adeò quòd Ioan. Faber scripserit in §. Alia deinde. insti. de publi. iudi. quòd familiaris, vel seruitor & iuuans illum suspenditur pro primo furto: tunc iudex ecclesiasticus grauiori pœna punire debet talem clericum, quàm si extra domum eius cui inseruit simile furtum faceret. Quis enim domesticos fures valebit effugere, nisi eos seuerior pœna quàm alios à tanto facinore retrahat? In his insuper Hispaniæ regnis ab ecclesiasticis iudicibus obseruari debere credo ac consulo, quòd sicut per leges regias in locis desertis commissa furta grauius puniantur, sic ipsi clericos talia perpetrantes grauiori corrigant animaduersione. Res enim esset pernicioſi exempli ea in clericis non censere grauia, quæ in ipsis laicis pro talibus iudicantur. Aliud præterea furti genus in sacerdotibus super omnia suadeo iudicibus omnibus ecclesiasticis, vt zelo maximo corrigant, quoties videlicet compertum habuerint, quòd eorum aliqui in se detinent, ac habere inficiãtur bona quæ morientes (maximè peregrini) apud ipsos deposuerunt, vt suis hæredibus, vel aliis personis quibus leges illa dari non prohibent, restituant. Hoc enim grauissimum scelus iudicandum est: offenditur enim ipse Deus: violatur defunctorum voluntas, cui tantum deferunt etiam ethnicorum leges, læduntur etiam personæ illæ cui deposita dari debebant. Da-

tur prætereà ſæpe moriẽtibus occaſio, vt malint impœnitẽtes mori, quàm ſacerdotibus (quos ſuſpectos habent propter ſimilia) animam cum bonis commendare. Degradationem verò de qua text. in di. c. Tuæ. meminit, verbalem non actualem debere eſſe, placuit ibi Io. And. Et idem etiam voluit Abb. in c. At ſi clerici. de iudic. col. xiij. verſicu. ad tertium. Et Areti. in c. Cum non ab homine. de iudi. col. xj. verſ. Addit etiam. Eſt præterea aduertendum circa pœnam huius criminis, quòd clericus condemnatus actione furti, efficitur infamis, ſicut laicus condemnatus in foro ſeculari: quia quicunque ſecundùm leges eſt infamis, eſt etiam infamis ſecundùm canones, niſi reperiatur oppoſitum ſtatutum. facit text. in c. Infames. vj. quæſt. j. & in §. Hîc colligitur. ij. quæſt. iij. Et tenet hanc generalem concluſionem Feli. in c. Qualiter. el ij. §. Ad corrigendos. in v. col. de accuſationib. Nota tamen quòd ſi reperiretur clericus condemnatus ad reſtitutionem rei furto ſubtractæ, quòd per hoc non fieret infamis: quia poteſt intelligi quod fuit actum conditione furtiua, quæ non infamat, & non actione furti. Et hoc tenet Ana. in d. capit. Qualiter. vbi illud refert Felin. in dicto §. Ad corrigendos. in colum. iij. licet ipſi non ſcribãt hoc in clericis. Sed ego credo eandem ſententiam eſſe tenendã in eis. { Vide prętereà in materia huius cap. Paul. de Caſt. in Auct. Sed nouo iure. C. De ſeruis fugitiuis, in fine, vbi ſcribit quatuor ſpecies furum. }

Simo

Simoniaci.

CAPVT LXXXV.

IRæmissa diffinitione simoniæ quam latius examinat Ioan.de Ana.in rub. eiusdem titul.in j. col. delictum istud computatur inter grauiora crimina, vt est text.in c.fina.de purga.cano.de quo quidem terribilia verba Paschalis papa descripsit in c. fi. j.quæst. vij. videlicet, quòd omnia etiam crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.{ Vnde Sancti illi Patres Hispaniæ qui in Concilio Toletano viij.interfuerunt, vidētes quòd antiquorum patrum decreta in extirpatione tanti criminis parum profecerint, præmissis pulcherrimis verbis,quibus hoc eleganter deplorarunt, huic cancroso vulneri ignitum, quod supererat ferrum iniicere decreuerunt (vt eorum verbis vtar) & in Canone iij.sub his verbis statuerunt: vt quicunque deinceps propter accipiendam sacerdotij dignitatem,quodlibet præmium fuerit derectus obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis opprobrio condemnatum,atque à participatione Christi corporis & sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile Christi perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis extiterit,qui accusęt,ille qui hunc ordinem munerum fuerit acceptione lucratus & susceptо honoris gradu prohibetur,& in monasterio sub perenni pœnitentia religetur. Illi verò, qui hac causa munerum acceptores extiterint, si clerici fuerint, honoris amissione mulctentur. Si verò laici, anathemate perpetuò condemnentur. } Ideo propter

eius

eius grauitatem aliqua ſpecialia ſtatuuntur in iure, nam in eo proceditur per ſola ſigna: & in eius odiũ admittuntur præſumptiones, vt notat Abb. ex text. ibi in c. Sicut. de ſimonia. Item admittuntur ad accuſandum ſimoniacum ſerui, meretrices, & criminoſi, vt in c. Tanta. eo. tit. de quo latius in c. Per tuas. el j. eo. titu. & per Abb. & Docto. ibi. Vnde {ex diſpoſitione Alexandri & Inn. Tertij. per noua iura.} in eo delinquens perpetuò deponitur ab officio & beneficio, vt in c. De hoc. de ſimon. & in c. Cum ſuper. de confeſ. Si tamen crimen eſt occultum, non deponitur, & ſi ipſi iudici conſtet, ſed pœnitentiam ſecretã debet iniũgere, vt in c. Ex tuæ. de ſimo. In correctione tamen & punitione huius criminis non poteſt dari certa doctrina, ſed ſecundùm qualitatem ſimoniæ aliter & aliter punitur. Quia aliquando imponitur pœna excommunicationis, aliquando detruſionis in monaſterium, aliquando ſpoliationis omnium bonorum, aliquando depoſitionis, aliquando eſt pœna centum aureorum & infamiæ: vt probat textus & gloſſa in dicta l. j. ff. ad legem Iuliam de ambitu. Aliquando imponitur pœna quadrupli, & deportationis, vt patet in d. l. j. C. ad legem Iul. de ambitu. Ideo vide Hoſti. in ſumma eiuſdem tit. in §. qua pœna feriatur, per totum. Et vide Præpo. in c. Presbyter. j. queſt. j. in col. fin. verſ. in gloſ. vbi etiam refert varias pœnas de iure canonico, quem etiam vide notabiliter diſtinguentem, videlicet an ſimonia committatur in ordine, vel in beneficio, & in vtroque, an paſsiuè, vel actiuè, & varias etiam pœnas deſcribẽtem in c. Statuimus. j. quæſt. j. col. j. & ij. Item nota quòd ſimonia commiſſa in ordine ſuſce-

pto

pto non ſolùm non dat executionem illius ordinis, ſed etiam impedit executionem omnium aliorum. notat Inno. in c. Per tuas. & in c. Tanta. eo. tit. Arch. in c. Ordinationes. j. quæſt. j. vbi vide Præpo. qui refert & ſequitur eoſdem in principio, qui ponit vnũ caſum in quo fallit iſta concluſio: licet ille caſus nõ eſt propriè caſus fallentiæ, quia in eo ſimonia non fuit commiſſa in ordine, ſed in conſecutiuo ad ordinem, vt ibi per eum. Et ipſam principalem conclu ſionem ſequitur ſimpliciter in c. Statuimus. ea. cauſ. & quæſt. in col. j. Hodie tamen per conſtitutiones modernorum Pontificum deſcriptas in ſupplemento, in verbo ſimonia. in fine. Simoniacus eſt priuatus ipſo iure beneficio, vt dicit Feli. in capitu. In noſtra. in ij. corollario. in fin. de reſcriptis. & idem notat ipſe in capitu. ij. de reſcript. columna iiij. referendo ad hoc conſil. Anchar. Et vide extrauagantem Pauli. ij. quæ incipit, Cum deteſtabile (quæ habetur inter extrauagantes communes ſub tit. de ſimo.) vbi imponitur pœna excommunicationis ipſo facto, cuius abſolutio reſeruatur Papæ: & quòd in beneficiis nullatenus eis ius quæratur, & teneantur ad reſtitutionem fructuum præter id quòd primò innouat omnes pœnas contra ſimoniacos ſtatutas, & eas incurrere, ipſo facto decernit. { Et vi. Sylue. in ſumma, verbo Simonia. in verſic. Decimono quæritur. vbi deſcribit quatuor pœnas Simoniacorum: & inter eas meminit de extrauag. Martini quinti, in Concilio Conſtantienſi incipien. Sacro. Et ibi plura alia refert in propoſito. }

Ac per

Ac periuri.

CAPVT LXXXVI.

PRopter periuriũ potest quis deponi ab ordine & beneficio, vt est tex. in c. Presbyter. lxxxj. dist. qui dicit, quòd presbyter aut diaconus captus in periurio deponitur. ita notat Abb. in ca. Querelam. de iur. iur. in ij. nota. qui hoc dicit probari in cap. Cũ non ab homine. de ludi. & dicit facere tex. in cap. Si quis episcopus. l. distinc. Et notat idẽ Abb. in d. c. Cum nó ab homine. in iiij. not. { ex quo dicit Card. Iacob a. in tract. de cõcilio in lib. ij. arti. v. col. ij. quòd quando vocati sunt ad cõciliũ generale illi qui iurauerũt secũdũ formã ca. Ego enim. de iur. iur. si nõ veniunt possunt deponi à suis dignitatibus, quia sunt periuri. & periuriũ inducit pœnã depositionis. } Et quòd propter hoc delictũ remoueatur quis à beneficio, notat idem Abb. in c. ij. in j. nota. de rescrip. Quod extende in clerico qui fregit promissionẽ vallatã interpositione fidei: quia talis eadẽ pœna punitur, tenet Io. And. & Host. in cap. Querelam. ne pręla. vices su. Abb. in d. c. Querelam. de iur. iur. Quos sequitur Ange. in summa, in verbo periuriũ. in §. xj. licet Arch. Anto. & Card. teneant contrariũ in locis ibi relatis. Et hanc etiã opinionem Hosti. & Abb. sequitur Feli. in d. c. querelã. in col. pen. licet contrariam opinionem dicat benigniorem. Eandem etiam sequitur Ioan. de Selua, in tra. de beneficio, in iij. parte principali, in q. iij. { Vi. tamẽ Ioan. Staphileum, in tract. de gratiiis & spectatiuis. fol. lxxviij. vers. Tertiò periurus, vbi dicit quòd pœna priuationis non habet locum in eo, qui

venit

venit cõtra fidem promissam, qui solùm allegat Rotã in decisio. cxxxiiij. incipiẽti, Nota quòd posito in antiquis. quod dicit esse notandũ. } Et aduerte quòd periurus non est priuatus beneficio ipso iure, sed priuandus, vt sentit Abb. post alios, in cap. ij. de rescri. vbi vide Feli. in j. col. qui refert alios idem tenentes, & dicit hanc esse cómunem opinionem: licet Barba. ibi teneat contrarium, imò quòd statim sit priuatus, cuius fundamenta ipse refert & soluit, & contra eandem communem opinionem tenet idem Barba. in d. c. Cum non ab homine. de iudi. in col. ij. per text. in d. c. querelam. quem coniungit cum aliis iuribus contra Abb. ibi. Qui tamen sibi contrarius in rub. de iureiuran. in Clemen. in col. v. sequitur communem opinionem prædictam sequendo Cardi. in d. cap. Querelam, vbi illã tenet. { & vide eundẽ Feli. in c. ex parte. lo j. de rescri. j. col. } Et hanc etiam opinionem dicit esse communem Ioan. de Selua, vbi suprà. & vide Petrum Rebusi. in tracta. de pacificis possessoribus, in pagina xxxvij. columna ij. vbi dicit quòd licet opinio quòd periurus non est priuatus ipso iure sit communis: tamen opinio contraria potest sustineri in puncto iuris, & respondet ad aliqua fundamenta contraria, qui plura cumulat in proposito transcribendo ferè dicta per Felin. in dicto capitu. ij. Item nota quòd collatio beneficij facta periuro est ipso facto nulla, notat Abba. in dict. cap. querelam. sequitur Angel. in summa, in verbo periurium. §. xij. Contrariam tamen sententiam tenet Cardin. in dicto capitu. querelam. cui adhæret Feli. ibi, in col. iij. quam etiam conclusionem videtur tãdem tenere idem Felin. in capi. ij. in col. iij. de rescriptis

ptis. licet prius in col. præcedẽti plura retulerit pro contraria opinione, videlicet quòd collatio facta periuro, vel aliâs criminoso est nulla. { Et vide eundem latissimè de hoc scribentem in c. ex parte. el j. de rescrip. col. & ij. num. ij. } Et vide Ioan. de Selua, vbi suprà: & vide Petrum Rebufi. vbi suprà, in pagina xxxvj. col. ij. vbi tenet quòd collatio facta periuro est nulla, & refert aliquos doctores ad hoc: quod tamen intelligit, quando quis esset per sententiam cõdemnatus & declaratus periurus, & postea fieret eidem collatio, & dicit quòd Papa non dat priuationem pro periurio, nisi sit periurium iudiciale, allegat regulam Alex. Papæ vj. in rub. de signatura gratiæ. { Et vide Ioan. Staphileum, in tracta. & loco suprà allegatis, vbi dicit quòd signatura non dat priuationẽ beneficiorũ pro periurio, nisi sit Iudiciale.

Falsi testimonij rei.

CAPVT LXXXVII.

DResbyter aut diaconus dicẽs falsum testimonium ab officij honore depositus in monasterium detrudatur. Ita censuit Concilium Agathense, vt Gratianus tradit in cap. Si episcopus. l. distin. vbi vide Præpo. intelligentem illum text. quando clericus est de hoc crimine directè accusatus & conuictus, vel in iure confessus: secus autem si non constat de illo via directa, sed incidenter, videlicet quando contra clericũ in testẽ productũ probatur exceptio falsitatis, quia tũc non debet deponi, nec etiã propter hoc infamari, sed tantũ repelli à testimonio. & vide Hosti. in summa, de accus. in §. Quis sit effectus. ver. Et gratia

tia exempli, vbi hoc crimen falsi testimonij commemorat inter crimina capitalia, quæ inducunt depositionem: & hoc procedit siue in ciuili, seu criminali causa clericus dicat falsum testimonium secundum Cardi de Turre cremata post Hugo. in c. Presbyter, Diaconi. v. quæst. vj. qui tex. est §. c. Qui iuxta. eiusdē causæ & quæstionis: quod etiā voluit Archi. ibi. Ego verò in hoc articulo maximè considerandū censeo qualitatē causæ, in qua clericus falsum testimonium dixit: grauius enim est puniendus clericus qui in causa criminali falsum testimonium dixit, quàm qui in ciuili, & in ipsis criminalibus causis grauius si damnū fuit subsequutum ex suo testimonio, quàm si non, considerata qualitate damni vel iniuriæ illius contra quē deposuit. In his præterea regnis, quibus ex lege eorum imponi debet testi falsum deponenti eadem pœna, quæ imponeretur accusato, si verum esset delictum de quo impetitur. Multùm debent Iudices ecclesiastici aduertere, quòd grauius quàm alibi punire debent clericos in hoc delinquentes, cùm videant tam grauiter puniri laicos in similibus, & istud delictum graue sit in oculis populorum huius regni. Quando autem clericus dixit falsum testimonium coram iudice seculari, verior & communior opinio est quòd non possit puniri per eū, neq; principaliter, neq; incidenter, vt voluit Hosti. cuius opinionem tenet Anto. post Innoc. & Ioan. And. in cap. Verum. de for. compe. vbi vide Barba. col. x. cū duabus seq. & Ioan. Andr. in cap. At si clerici. de iudi. & communiter canonistæ in c. Dilectus filius. de pœn. & in c. ij. de cri. fal. vbi per Ana. post alios. & hanc opinionem sequitur Matth. de Afflict. in deci. Nea-

politanis,deci.ccxxx.incip.fuit per relatorem.

Homicidæ.

CAPVT LXXXVIII.

HOmicidium quidem inter grauiora & horribiliora crimina computatur, vt no. Abb. in c. Cùm contingat. in colum. vj. de fo.competen.per text.in c.Quæsitum. de tempo.ordinand. Et in c.Inquisitionis.de accusa. & in capitu.Miror.l.distinct. Ideo clericus homicida deponendus est, vt in {c.presbyter. lxxxj. distin. quod est ex canonibus Apostolorum,} & in c.Cum non ab homine,de iudi.& in capitu.Inquisitionis.in princ.de accusa.Committitur autem homicidiũ per clericum,facto,præcepto,consilio,lingua siue adhortatione,& in quocunq; istorum casuum deponendus est,vt not.glos.in c.Sicut dignũ.de homici.in §.Clericos. in verbo consilium,per iura de quibus ibi. quam quidem glos. bene nota, quia magistra est in materia huius c. Et post depositionem detrudendus in monasterium,vt probatur in d.c.Cum non ab homine.iuncto cap. Tuæ.de pœnis.& voluit per eadem iura Ioan.de Ana.in capitu.j.penult.col.de patr. qui fili.occid.& probat apertè text. in dicto §.Clericos. ex quo insuper bene colligitur quòd ista detrusio non debet esse perpetua, nec longi temporis:cùm ibi Roma.Pon.disponendo contra homicidas illius sancti viri Thomæ Archiepiscopi Cantuarien. iubet clericos delinquentes perpetuò depositos recludi in monasterium,vsq; ad septennium,vel quinquenniũ: verum est tamen quòd ille §.Clericos.disponit in clericis qui consilio perpetrarunt homicidiũ, qui licet

eadem

eadem depositionis pœna puniantur,qua & occiden tes actu si clerici essent:tamẽ nemo dubitat in reclusione non ita diuturna pœna puniendum consilium præbentem,sicut verè occidentem.Intellige tamẽ suprà dicta,quãdo iniustè & voluntariè est cõmissum homicidium secundum Hosti.in summa,de homici. §.Qua pœna.versic.Et hoc intelliges. Item etiã præter hoc clericus priuandus est beneficio per sententiam:quia homicida non est priuatus beneficio ipso iure,vt voluit Innocen.in cap.Cum nostris. de concess.præben.quod sequitur Bal.in l.Cum fratrem. C. de his qui.vt indig.{ & Phil.in c.scisscitatus. j.col.de rescript.& in c.ex parte.lo j.col.j.eo.titul.}Phil.Decius consi.clxvj.in princ.in j.volu.consil.incip. Ego Philippus. Et hanc opinionem dicit teneri communiter Ana,& Feli.in c.Inquisitionis. j.col.de accusa. & eandem etiam opinionem sequitur Præpo.in cap. Studeat.l.distinc.in col.fin. post Gemi.& respondet ad rationes Archid.ibi,& allegat Ioan.de Imo. in d. capitu. Cum nostris.dicentem quòd opinio Innoc. contra Archi.tenetur communiter. Et vide etiã Anto.Corse.in suis singularibus, in verbo sententia, el ij.vbi dicit quòd opinio Inno.communiter tenetur, & respondet ad aliqua iura quæ in contrarium videntur vrgere:quàmuis Barba.in capit.Cum non ab homine.de iudi.in col.ij.ad fi.teneat quòd committens homicidium est priuatus beneficio ipso facto, per text.quem dicit ad hoc formalem in cap. Ex literis.de excess.præla.iunctis aliis iuribus de quibus per eum. { Et aduerte,quòd licet Episcopus possit eum homicida etiam voluntario misericorditer dispensare,vt est text.nota.in cap.ij.in fin. de cleri.pugnan.

in duel.& in c.ſtudeat.50.diſt. per quæ iura & per eæ quæ notat Innoc.in cap.ij.de cleri.non ordi. mi. ita tenet Staphileus in tract.de gratiis expectatiuis. fol. 78.verſic.Poteſt tamen Epiſcopus. Si autem aliquis impetraret beneficium conferendum ſibi in euentũ priuationis, non poſſet amplius cum eo Epiſcopus diſpenſare etiam ante litis pendentiam ex quo impetranti iam eſt quæſitum ius ad rem,prout ſingulariter tenet Domi.conſi.cv. in fin.col. quem ad hoc refert Staphileus, vbi ſuprà.} Crederem præterea in iſta materia clericum in his caſibus excuſari à pœna ordinaria homicidij,in quibus laicus homicida excuſatur à pœna mortis,quorum viginti & quinque enumerat Hippoly.in l.j.ff.ad l. Corneliam. de ſica. à j.col. vſque ad xiiij. & quadraginta quinque ponit Iacob.Boulen.in repet. §.famoſos.l.capitalium. ff.de pœ.fol.xxxvj.vſque ad finem.

Venefici.

CAPVT LXXXIX.

CLericus qui veneno quemquam occidit, præter id quod in pœnam homicidij de qua ſuprà incîdit,quia verò grauius delinquit quàm ſimplex homicida dignè poſt depoſitionem grauiori detruſione & longiori puniendus eſt.Plus enim eſt veneno hominem necare,quàm gladio, vt in l.j.C.de male. & mathe. Vnde dicunt Butri.& Bald.in l.Nemo.C.de ſumma trinit. & fide catholica, quòd qui veneno occidit, dicitur proditoriè occîdere: quod refert Ioan. de Ana. in cap.j.col.j.de homici. Et idem dicit Bald.in l.Cum fratrem. de his quib. vt indig. vt refert idem Ana.in capit.

capitu.j. iij.colum. in fin. de sortileg.{ & Decius in cap.quæ in ecclesiarum. col.v. nume.14. de constit. qui alia allegans infert ad statutum.}Ex quo dantur aliqua specialia in occidente veneno,quæ non militant in homicida simplici, vt ibi per eos. Et huius tam execrabilis delicti odio crederem etiam quòd clericus qui venenum emit vt daret alicui, si tamen parauit, & per eum non stetit, eadem pœna puniatur,ac si dedisset,iuxta sententiam Bart.per text.ibi, in l.j.in fin. ff.ad l.Pompe.de parric. cuius meminit Ioan.de Ana.in rub.de patri.qui fili.occi. circa prin cipium.{ & Felinus, in tracta. Quando conatus puniatur,colum.ij.nu.9.versi. fallit 5.} licet Bartol.ibi seuerius hoc dicat, & non curet an stet per emptorem veneni,vel non quòminus occîdat.Quod præcipuè magis locum sibi vendicat in his Hispaniæ regnis:cùm per l.vij. titu.viij.parti.vij.taliter emens venenum vt homicida puniatur. Nec hoc alicui videatur crudele, cùm tanta sit huius facinoris nequitia: sufficit namque hominibus inter tot armorum genera natis mortẽ ipsam formidare, absq; eo quòd in ipso cibo & potu (sine quibus viuere impossibile est) mortis timor misceatur. Quid enim miserabilius est, quàm vno eodémque tempore, cum spe viuendi, & timore moriendi cibum sumere? Vnde vt tantum scelus ex mentibus hominum euellatur,nulla pœna iniustè potest statui.In vna præterea huius delicti specie debent iudices seuerius animaduertere, si quando forsan compertum habuerint clericũ aliquem occîdisse, vel occîdere procurasse alterum veneno in calice propinato: neque arbitretur quispiam hoc tam nefandũ scelus nusquã accidisse.Intel-

lexi ego & temporibus istis clericum clerico, & religiosum religioso in calice dum sacra mysteria celebrarent miscuisse venenum, quàmuis diuina misericordia, aut debilitate veneni neminem mori contigerit. Quis enim in tantum nefas committentes non inuehatur, qui cum ipso vitæ æternæ poculo saluberrimo, temporalem miscent interitum, qui insuper cum ipso redemptoris sanguine pretiosiss[illegible]o quo cunctorum animæ redemptæ sunt, necem corporum inuoluunt? Hoc equidem abominabile scelus pœna traditionis curiæ seculari ex noua ecclesiæ, aut Roma. pontifi. declaratione puniendum dignissimè censerem, vbi de dilectione Dei, & proximi mandatum in quo tota lex pendet, infringitur. Et si alicui vnquam iudici citra ecclesiæ declarationem propter criminis enormitatem opinio Ancha. & Abb. de qua in cap. seq. latius tractabimus, iusta & sequenda videbitur, in hoc tali facinore potius quàm in aliquo alio locum habere poterit.

Parricidæque.

CAPVT XC.

PArricidium committentes, vel aliâs homicidium enorme perpetrantes, vt si episcopum vel presbyterum occiderẽt, concludit Abb. in c. At si clerici. in princ. de iudi. col. antepenult. post Petrum de Ancha. in quadam disputatione sua, & in repeti. regulæ, ea quæ. xix. quæst. de regul. iuris. & in consilio clviij. Ex narratis in facto. colum. ij. debere deponi, & tradi statim curiæ seculari, non expectata incorrigibilitate, & tradit etiã Abb. in c. Cum non ab homine. col. vij.

de iudi. & ibi etiam Bald. Idem Abb. in cap. j. in fine. de homi. & in cap. Nouimus. de verb. signifi. & Barba. in consi. lxv. col. iij. lib. j. Et Feli. in capit. j. in xvj. col. de constit. vbi in simili plura adducit. Idem Feli. in cap. Inquisitionis. colum. ij. in princip. de accusa. & ista opinio videtur habere magnam æquitatem, vt delicta puniantur debita pœna, vt dicit Decius in d. cap. At si clerici. in col. xxiij. versic. Et prædictam. qui dicit vidisse illam seruari Florentiæ per vnum commissarium. { Et vide Angelum, in tracta. maleficiorum in parte, & ibi caput à spatulis amputetur. xij. col. dicentem notandam esse sententiam Anchara. quia de facto vidit eam seruari in raptore adultérante quandam mulierem. Et vide ibi Augustinum in additionibus asserentem, quòd stringunt rationes Anch. & Abb. & quòd ita alias practicauit, quia multi Doctores moderni illam partẽ tenent, & alias fuit cum Doctoribus iuris Canonici in maxima disputatione, qui semper volunt defendere clericos. } Et vide Florenti. in iij. parte, titul. xxvij. cap. iiij. in colum. fina. in fin. qui refert temporibus suis papam Martinum tradidisse curiæ seculari sacerdotẽ quendam degradatum, qui interfecerat Sacristam sancti Petri, vt rapere posset bona Sacristiæ, qui fuit occisus per Iudicem secularem, quamuis iurisperiti consuluerunt non esse tradendum curiæ propter tale delictum. { Et vide Guillel. Benedicti in 3. parte repetit. c. Rainutius. de testam. in q. de homicidio. vbi dictã opin. Petri de Ancha. latè examinat in casu occurrenti contra quendam clericum presbyterum, qui commisit qualificatum homicidium, & in pen. col. illius q. dicit, quòd dicta opinio, per ea quæ ipse re-

fert,remanet communior, & quòd quamuis non esset communior,videretur magis tenēda quàm alia, ex eo quòd fulcitur textibus & rationibus euidentibus,quæ quidem opinio in casu illo ita fuit seruata. Nam ille presbyter fuit actualiter degradatus & traditus curiæ seculari, vt constat ex processu ibi ante quæstionem in summa relato.} Et ego etiam audiui à fide digno doctore Parisien. vidisse eum Anno domini.M.D.XXX.episcopum Parisiensem Franciscum Poncher degradasse quendam sacerdotem ad valuas ecclesiæ maioris Parisiensis,& tradidisse eum curiæ seculari,quem susceptum iudex secularis damnauit,primò ad pœnam abscisionis manus ante ianuam collegij Eduensis,& demum vt viuus comburetur in platea sancti Ioannis Engreua,prout factū fuit ipso vidente. Quam pœnam passus est, eo quòd occiderat animo deprædandi rectorem cuiusdā oppidi non longè distantis,habitantem in dicto collegio Eduensi,cuius ille famulus fuerat,& vices in parochia gerebat. Et vide Arnaldū Alber. in c. Quoniam.de hæret.lib.vj.col.cxxiiij.qui postquàm retulit hanc opinionem,& eius fundamenta per sex col. præcedentes dicit, quòd attenta malignitate moderuorum temporum in quibus clerici,& omne genus hominū procliue est ad malum , non esset ponere os in cœlum,seruare istam opinionem in practica,& in hoc consuleretur pacifico statui Reipubl. & multi effrenati clerici à malis retraherētur. Et hæc opinio practicata fuit anno domini M.D.XXXVj.in mense Iulio,in celebri illa ciuitate Hispalensi,per Reuerēdiss. do.Cardi. Archiepiscopum illius Iudicē à sede Apostolica delegatum contra quatuor religiosos monasterij

sterij ordinis sancti Augustini ipsius ciuitatis, qui diabolica suggestione decepti fratrẽ Ioannem de las Casas in sacra Theologia magistrum prouincialem suũ occiderunt, qui omnes publicè degradati statim traditi fuerunt curiæ seculari, & furca suspẽsi, quorum vnus vocabatur frater Alphonsus de Badaioz, qui erat prior illius monasterij, alius frater Rodericus de la Rocha, & alij duo fratres Andreas de la Cruz, & frater Ioannes Piloto, qui eodem die (quia cum magno cordis dolore seipsos accusantes, post damnationis sententiã delictum fuerunt cõfessi publicè) è furca depositi cũ maximo honore associantibus fratribus omniũ ordinum in proprio monasterio sepulti sunt. Qui autem tanquam iurisperiti fuerunt ad determinationem causæ vocati, & quorum consilio, sententia lata fuit, sunt sequẽtes, Dominus Sebastianus Ramirez episcopus sancti Dominici, in insula Spañola. licentiatus Ioannes Suares de Caruaial nostri regalis consilij {Indiarum} vnus, licentiatus Brizeño eiusdem ciuitatis Hispaleñ. præses, licentiatus Ioannes Teminno eiusdem & totius Archiepiscopatus prouisor, licentiatus Petrus Corral illius officialis ac generalis Vicarius, licentiatus del Corro, & doctor Petrus Diaz hæreticæ prauitatis inquisitores, & licentiatus Otalora Iudex audientiæ supremæ illius ciuitatis, quam vulgus grados vocat. Vt autem de tenore Apostolicæ commissionis eidẽ Archiepiscopo Cardinali super hoc factæ habeatur notitia, tenor literarum in forma breuis super hoc expeditarum talis est. Dilecto filio nostro Alfonso Basilicæ duodecim Apostolorum presbytero Cardinali Hispaleñ. nuncupato Paulus papa tertius. Dile-

cte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionẽ. Exponi nobis feciſti, quòd licet aliâs tu certos fratres domus ſancti Auguſtini extra muros Hiſpaleñ. ordinis fratrum Eremitarum eiuſdẽ ſancti, qui diabolica (vt creditur) ſuggeſtione ſeducti, nocturno tempore eorum tunc prouincialem in lecto requieſcentem appenſata conſpiratione laqueo ſuffocatũ vulneratúmq; inhumaniter interfecerant, quibuſdã aliis etiam dicti ordinis fratribus ſibi ad id opem, auxilium, conſilium, & fauorem præſtantibus, ne fugam arriperent carceribus mancipari mãdaueris & feceris. Quia tamen tu in eoſdem malefactores iuxta priuilegia & indulta Apoſtolica dicto ordini conceſſa nullam iuriſdictionem habere ſciebas, tandiu in præmiſsis duxiſti ſuperſedendum, donec nos & Apoſtolicã ſedem quid ſuper eo fieri oporteret conſuleres. Conſultationi itaque tuæ ſuper hoc nobis porrectæ reſpondentes, circũſpectioni tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus ſi & poſtquàm (aſsiſtentibus tibi ad hoc duobus dicti ordinis fratribus, quos ad id duxeris eligendos) exactis de & ſuper præmiſsis coram te hactenus habitis, vel in poſterum habendis, tibi legitimè cõſtiterit ita eſſe prout ſuperius enarratur (ne ſi tam horrendũ facinus impunitum remaneat, alij ad ſimilia & deteriora perpetranda inuitentur) contra dictos fratres malefactores, ac quoſcũq; alios etiam exẽptos, quos tãti facinoris inueneris patratores ſeu culpabiles iuſtitia mediante procedas. Nos enim tam illos qui ad capiendũ & detinendum, inquirendúmq; & examinandũ dictos malefactores, quàm etiã executioni demandandi ſententiã contra ipſos deſuper legitimè

feren

ferendam, vel aliâs quomodolibet in eos præmisso-
rum occasione manus iniecerunt violentas, etiam si
ad vltimum supplicium fuerit deueniendum, excom
municationis sententiam à canone generaliter pro-
mulgatã, irregularitatísq; & inhabilitatis, aut alias
censuras & pœnas ecclesiasticas minimè incurrisse,
neq; incurrere, sicq; per quoscũq; Iudices iudicari,
diffiniri & interpretari debere, sublata eis & eorum
cuilibet aliter iudicãdi, diffiniendi & interpretandi
facultate & autoritate decernimus. Téq; & eorũ sin
gulos à sententia, censuris & pœnis prædictis, si quas
præmissorũ occasione ex dicta carceratione forsan
incurristis, Apostolica autoritate tenore præsentiũ
absoluimus. Volumúsq; vt si locus sit degradationi
& traditioni curiæ seculari, tu vel catholicus Anti-
stes per te eligẽdus vnà cũ duobus aliis episcopis, aut
si eorum copia commodè haberi non poterit, cum
vno Episcopo & vno Abbate ad degradationem hu
iusmodi procedere valeatis. Non obstantibus præ-
missis, ac de certo episcoporũ numero in degrada-
tionibus huiusmodi adhibendo, necnon quibusuis
cõstitutionibus & ordinationibus Apostolicis, pri-
uilegiis quoq;, indultis, & literis Apostolicis dicto
ordini & illius fratribus cõcessis, quibus illorum o-
mnium tenores & formas eisdẽ præsentibus pro ex-
pressis habẽtes hac vice duntaxat illis aliâs in suo ro
bore permãsuris harum serie specialiter & expressè
derogamus. Cæterísq; contrariis quibuscunq;. Da-
tum Romæ apud sanctum Petrũ sub annulo pisca-
toris, Die xxj. Octobris. M. D. XXXV. Pontificatus no-
stri anno primo. Blosius. Vigore cuius commissio-
nis dictus dominus Cardinalis vt seruaret illius se-

riem

riem assumpsit secum duos prouinciales dicti ordinis, qui vnà cum eo in processu & diffinitione causę assisterẽt. Fateor tamẽ quòd sępius sum miratus quomodo in prædicta commissione Apostolica bis conditionaliter dictũ fuerit, videlicet, Etiam si ad vltimum supplicium esset deueniendum, & iterum si locus sit degradationi & traditioni curię seculari: cùm conditio ista in casu pręsenti potius erat iuris quàm facti, & ideo consultores Romani pontificis quorũ consilio prædictæ literę emanarunt, melius nosse poterant vel debuerant, an narratione prædicta existẽte vera & probata prædicti fratres essent post degradationem tradendi curiæ seculari, vel non. Nisi fortè tacitè voluerunt sentire quòd Romanus Pontifex concederet dicto Cardinali potestatem arbitrandi, an attenta probatione & qualitate facinoris, & aliis circunstantiis illi essent tradendi curiæ seculari, vel non: Non obstante quòd ille casus non esset expressus in iure propter quem posset tradi sacerdos curię seculari: quamobrẽ vt quisque valeat super hoc considerare mentem pontificis, libuit prædictam commissionem inferere. Contrariam tamen opinionem sequitur & dicit esse communem Areti. in d.c. Cum non ab homine. in col. ix. in fi. qui in duabus col. sequentibus refert fundamenta Abb. & respondet ad ea, & eam dicit de iure veriorem Decius, vbi suprà, qui etiã refert fundamenta Abb. & quę ad ea respondet Aret. & dicit, quòd pro hac opinione plura adducit & si leuia And. Siculus ibi, & ponderat pro ea idem Decius tripliciter tex. in d.c. Cum non ab homine: & hanc dicit esse communem opinio. gloss. & Docto. Arnal. Alber. vbi suprà, in fin. d. col. cxxiiij. versi.

versi. Nihilominus tamen. & sic quod clericus quantumcunq; graue delictũ commiserit etiam qualificatum, non debeat actualiter degradari, & tradi curiæ seculari, nisi sequuta incorrigibilitate, aut in casibus expressis in iure, à qua cõmuni opinione dicit non esse recedendũ in iudicando & consulendo: quẽ vide per xvj. col. sequentes, vbi refert plura fundamenta huius communis opinionis, & tandem respondet ad ea quæ adduxerat pro opinione contraria. Mihi verò (saluo semper meliori iudicio) videtur quòd si in aliquibus casibus ob immanitatem criminis, & magnum scãdalum populi inde sequutum visum fuerit iudicibus delegatis vel ordinariis sequendam opin. Ancha. & Abb. quod hoc solùm posset habere locũ in clericis primæ tonsuræ tantùm, sic enormia homicidia perpetrantibus, cùm illi non possint sic appellari Christi domini, illíſq; beneficium (ne per seculare puniantur iudicem) magis ab ecclesia, quàm à iure diuino concessum videatur. Quorum numerus vltra mentem ecclesiæ tantùm excreuit, & quorum malitia tanta est, vt grauiora semper ferè audacius & frequentius ab illis, quàm ab aliis perpetrẽtur. In cuius meæ opinionis confirmationem possem alia non impertinenter referre, quæ collegit Hispanus noster Ioannes Lupi, in tracta. de libertate ecclesiastica, in ij. parte. quæsti. v. quæ tamen transcribere nolo, cùm volentibus ea legere facilitas adsit. In aliis verò sacri ordinis clericis, sacerdotibus maximè communem opinionem sequendam censeo, tametsi iustum iudicarem quòd hodie per concilium, aut per Roma. Pontif. aliqui grauissimi excessus annotarentur, in quibus clericus etiam sacerdos post degradationem

Quod

trade

traderetur curiæ ſeculari, vt ſaltem timore pœnæ aliquorum clericorum inſolẽtia temperaretur. ¶ Et aduerte, quòd Petrus Rebuffus in tracta. de pacificis poſſeſſoribus. in pagina 48. videtur extẽdere tex. in c. j. de homici. in vj. dum imponit pœnam priuationis beneficiorum ipſo iure mandãtibus alios interficere per aſſaſſinos, ad illos qui interficiunt parentes vel alterum eorũ, ſeu fratres, aut clericum, vt tales etiam ipſo iure ſint priuati beneficiis. Pro quo allegat Feli. in c. inquiſitionis. de accuſatio. & Ana. in conſi. lxiij. quamuis ibi Ana. nihil de priuatione beneficiorum ſcripſerit: ſaluo tamen meliori iudicio ego credo quòd hæc opinio non ſit vera: quia nõ ſufficit Doctorũ autoritas ad iudicandam priuationẽ beneficiorum ipſo iure propter quamcunq; grauitatem delictorum: hoc eſt enim conditoris canonum, non Doctorum ſcribentium. Nec ſufficit quòd Feli. adducit, quia licet ſint plures doctores aſſerentes, quòd clericus cõmittens delictũ qualificatum poſſit tradi curiæ ſeculari, non ſeruata forma c. cum nõ ab homine. vt ego ſuprà latius ſcripſi. non ſequitur per hoc quòd talia delicta qualificata inducant priuationem beneficiorum ipſo iure, cùm hoc doctores non dicant, nec ad hoc ſufficeret eorum autoritas. ¶

Per aſſaſſinos alios interfici mandantes.

CAPVT XCI.

Eccleſiaſtica perſona aliquẽ chriſtianorum faciens interfici per aſſaſſinos, vel mandans, vel eos receptans, vel defendẽs, ſeu occultans incurrit ipſo facto ſententiam excõmunicationis & depoſitionis à dignitate, hono

honore, ordine, officio, & beneficio: & beneficia possunt aliis liberè per collatores conferri, vt in cap. j. de homi. in vj. Et habet vnum speciale hoc delictū, vt probari possit probabilibus argumentis, vt ibi, vbi vide Phil. in xj. not. tenentem quòd in isto casu ratione periculi valerent testes recepti lite non contestata etiã parte absente & non citata; quia text. ibi nõ dicit testibus, sed probabilibus argumentis. Item aliud quòd clericus assassinus potest puniri per secularem, sine eo quòd præcedat degradatio secundum Lapum in d. cap. j. & Domi. ibi, in fin. quia ipso iure videntur degradati: & videtur data vnicuique potestas ipsos capiendi, & per ius vidētur spoliati omni priuilegio clericali, vt per Doct. ibi. Et prædictam conclusionē Dominici refert & sequitur Barba. in c. At si clerici. de iudi. in col. xxxij. nu. cxxix. Refert etiam Hippoly. in practica criminali, in §. Examinanda. in col. iij. { Et hoc etiã tenent plures doctores relati in decisionibus Nicolai Boërij in quæst. lxix. in nu. xviij. } Et vide Ioan. Lupum in tract. de libertate ecclesiastica, in quæst. ix. vbi dicit quòd datur à iure quædam degradatio quæ habetur loco realis, videlicet in dicto capitu. j. de homi. vbi clericus delinquens vt suprà, à iure & à concilio habetur pro realiter degradato, vt possit capi & puniri per secularem, de quo vide latius Arnal. Alber. in cap. Quoniam. de hæreti. lib. vj. in col. cxlvij. versicu. viij. & vltimò fallit, cum xj. colum. sequen. qui primò adducit quinq; fundamenta contra communem intellectū doct. ad d. c. j. qui habet quòd clerici delinquentes in hoc delicto sunt ipso facto degradati, adeò vt Iudices seculares possint procedere contra eos, sicut

contra laicos. Et postea bene corroborat hanc communem conclusionem, & respondet ad fundamenta in contrarium adducta. Et nota vnum quod ipse dicit in proposito, quòd pœna illius text. non videtur habere locũ in interficiente, sed in mãdante: & quod fortè multi in hoc errarent, allegat Aret. hoc sic ponderantem in consil. clxv. incip. Sicut Ioannes dicit, columna xj. versicu. Tertiò allegant. Aduerte præterea quòd pœna illius text. in dicto capitu. j. habet locum contra mandantem, etiam si mors non sit secuta, vt probant apertè verba illius, dum dicit, quãquàm mors ex hoc forsitan non sequatur: quod videtur esse speciale in hoc delicto, vt voluit Augustin. in additio. ad Ange. in parte, Et Sempronium Rodulphi, in iiij. additione: quia aliâs mandatarius non puniretur pœna ordinaria maleficio non secuto: nisi dicamus secundum eum post Ioan. Andr. in regula, in pœnis. de regu. iuris. in vj. quòd quo ad pœnas de quibus in dicto capitu. primo. facto mandato delictum est perfectum, & ideo nimirum si puniatur pœna ordinaria, ac si delictum esset consummatũ: quod etiam videtur sequi Philip. in dicto capitu. j. in colum. penulti. in versicu. in glossa. & per prædictum text. videtur reprobari de iure canonico opinio Dini, & Ange. in l. Item apud. §. Si curauerit. ff. de iniur. dum dicunt quòd in assassinamento si do pecuniam alicui vt aliquem occidat, homicidio non sequuto non punitur mandans: quam decisionem refert Augustin. vbi suprà, & dicit eos verũ dicere, quòd mandans non punitur de homicidio, sed pœna extraordinaria de mandato.

Trun

Truncationes membrorum per ſe facientes, aut faciendas iudicantes.

CAPVT XCII.

CLERICIS in ſacris ordinibus conſtitutis ex Concilio Toletano iudicium ſanguinis agitare non licet. Vnde prohibemus ne aut per ſe trũcationes membrorum faciant, aut iudicẽt faciendas: quòd ſi quis tale quid fecerit, honore priuetur & loco. verba ſunt text. in cap. Clericis. ne cleri. vel monac. } Concilium autem illud Toletanum, de quo ſuprà mentio fit, duodecimum eſt in Canone vj. } Vnde pœna delicti huius eſt depoſitio ab officio & beneficio: quia ſecundùm expoſitionem Ioan. Andr. verbum text. honore exponitur, id eſt ordine, & verbum loco, id eſt, beneficio: & ſic vult text. quòd priuetur ordine & beneficio, & per conſequens deponatur ſecundùm Abb. ibi, in j. notab. qui ſequitur expoſitionem Ioan. Andr. Et aduerte quòd cùm pœna iſta imponatur facienti vel iudicanti truncationẽ membrorum, quòd etiam ſi membrum debilitaretur facto vel ſententia clerici non puniretur iſta pœna, quia per id non efficitur irregularis, ita ſentit Abb. ibi. Item etiam eſt aliud aduertendum, quòd videtur text. imponere hanc pœnam clericis per ſolum iudicium, & ſic per ſolam ſententiæ prolationem, ſine eo quòd ſequatur illius executio. Ego tamen credo quòd mens conditoris canonis fuit punire clericum quando ſuccedit executio, & ſic crederem per ſolam ſententiam non ita acerrimè puniendum. Quod autem dicatur membrum, quia hæc materia

in variis locis latè deſcribitur, ſufficiat ad illa lectores remittere: quæ quidem inter alios copioſius colligit Corſetus in repertorio Abbatis in parte, membrum.

Duellum alijs ſponte offerentes, ſeu oblatum ſuſcipientes.

CAPVT XCIII.

POENA huius delicti eſt depoſitionis, vt in cap. j. de cler. pug. in duel. quod procedit ſiue clericus fuerit victor, ſiue victus: poterit tamen epiſcopus cum eo diſpenſare, ſi mors vel mutilatio membri non fuerit inde ſecuta, vt ibi. Et aduerte quòd pœna illius text. procedit quando talis clericus ſponte iniuit duellum, ſecus autem ſi aliquo facto neceſsitatis, licet neceſsitas fuerit euitabilis: quia tunc neceſsitas alleuiat culpam, & non punietur pœna depoſitionis: ſed mitiori: quia text. ille requirit actum ſpontaneũ ad incurrendam pœnam depoſitionis, ſecundùm Abbatem ibi.

Naues ad pugnam gubernantes, & conflictum perſonaliter exercentes, ac alios ad pugnam incitantes.

CAP. XCIIII.

PROPTER hæc tria delicta deponendus eſt clericus, vt in cap. Quod in dubiis. de pœnis. Aduerte tamen quòd in defenſione bene poſſunt clerici gubernare naues, & alios ad pugnam defenſionis incitare, & in

tantum

tantum confligere in hoſtes, quòd eos dimittant, vt placuit Inno. ibi. Abb. autem in eo cap. Videtur eius ſententiam reſtringere, videlicet quòd ſi neceſsitas non erat ineuitabilis, licet clericus interſit bello cauſa defenſionis: ſi ſequitur mors, vel mutilatio membri ex percuſsione ſua, efficitur irregularis, ſecus ſi percuſsione aliorum. Ego tamen crederem quòd Innoc. poteſt ſimpliciter intelligi, quo ad terminos text. quem declarat: quia ad hoc vt non patiatur pœnam depoſitionis de qua ibi, ſufficit quòd clericus prætendat defenſionem, licet cauſa non eſſet ineuitabilis. Quantum verò ad irregularitatem incurrendam ſeruabitur conſideratio. Abb. nec contradicit ſententiæ Innocen. quia ipſe nihil de irregularitate diſponit iudicio meo.

Violentiæq; illatores.

CAPVT XCV.

CLERICI violentiam inferre ſolent aut poſſunt, in perſonis, rebus ſeu beneficiis. Primo caſu, quando ab ipſis fuerat vis illata perſonis citra homicidium, tunc pro qualitate iniuriæ ac damnorum, ac conſideratis his, quæ in arbitrariis pœnis conſideranda fore infrà trademus, iudicis arbitrio puniri debent. Si quando verò contingat clericos eripere aliquem de manibus familiæ, qui ſententia iudicis ducebatur ad mortem, vel aliud corporale ſuppliciũ, tunc quidem diſtinguendum eſt. Nam aut manifeſtè apparebat illum condemnatum iniquè, & tunc videtur nullam imponendã pœnam propter hoc, vt ſentit Alberi. in l. addictos. C. de epiſco. audi. per text.

in cap. Hi qui. xiiij. quæſtio. vj. vbi bona gloſ. & melior in cap, Reos. xxiij. quæſtio. v. facit quod notat Archid. in cap. Cum homo. xxiij. quæſtio. v. & vide Hippoly. in l, lege Cornelia. {col. x. num. xxiij. } ff. ad l. Cornel. de ſicar. { & in practica cauſarum criminalium fol. lvij. num. xlj. in verbo, attingã } vbi refert dictam concluſionem Alber. & ponit alia per quæ poteſt corroborari. Si tamen in tali ereptione condemnati clerici ſcandalum fecerint, vnde deteriora contingant quàm iniuſta hominis occiſione: tunc bene crederem eos puniendos per ſuum iudicem iuxta ſcandali & perpetratorum menſuram. Si verò damnatum iuſtè eriperent, tunc puniendi ſunt. Idem quando eſſet dubium iuſtè ánne damnaretur, cum præſumere debent clerici pro iudice damnante. In hac autem illicita ereptione aduertere debent multùm iudices circa modum eripiendi, an cum armis, & ſcandalo id fiat, an etiam ruptis carceribus, vel non: & alia conſiderare, quæ ſolent ſimilia leuiora, vel grauiora facere hæc delicta in laicis. Aduertendum tamen eſt quòd ſi clericus eximit à carceribus captum pro debito, tenebitur ad id quod fiſco, & priuato debebatur, per id quod notat Bart. in l. Quoties, de exactoribus tribut. lib. x. Faber in §. Pœnales. inſtit. de action. Iaſ. ibi col. xvij. verſic. iij. circa prædicta. quòd intelligerem verum pro illis debitis pro quibus erat incarceratus, vel recommendatus, non verò tenebitur omnibus creditoribus: licet obſtet generalitas notabilis deciſionis Bald. in d. l. Addictos. dum tenet quòd eximens aliquem de manibus curiæ, tenetur ac ſi fideiuſsiſſet pro eo in omnem caſum. Secundo verò caſu videlicet quãdo

clerici

clerici res inuaſerint violenter, tunc ſi erat res temporalis propria vel aliena, cuius poſſeſsio erat apud alium conſtituta, patiuntur pœnam legis. Si quis in tantam. C. Vnde vi. quæ etiam habet locum in clericis, vt ſentit glo. in c. j. de dolo & contu. cui aſſentitur ibi Abb. in vj. col. verſi. Quo ad tertium. quod confirmatur ex traditis per Feli. in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. de conſti. col. xiiij. verſi. quæritur primò, videlicet quòd leges Imperatorum & Regũ compræhendunt clericos, & melius ex his quæ ibi notat in col. xxiij. verſic. Sequitur etiam. Tertio autem caſu quando in beneficiis faciunt violentiam, tunc qui temeritate propria dignitates, perſonatus aut alia quæcunq; beneficia eccleſiaſtica occupare non verentur, hoc ipſo, ius (ſi quod in dignitatibus vel beneficiis taliter occupatis, vel ad ea competebat) amittunt. Ita diſponitur in c. Eum qui. in fi. de præbend. lib. vj. Si verò beneficium cui animarum cura imminet vi occupat clericus, beneficio ſimili cum cura quod primitus obtinebat, eſt ipſo iure priuatus, vt voluit ibi text. in princip.

Literas ad alios directas aperientes, & aduerſarijs oſtendentes.

CAPVT XCVI.

APERIENS literas, & aduerſario mittentis oſtendens incidit in pœnam falſi. ita Bart. in l. Qui teſtamẽtum. ad l. Cornel. de falſ. ff. per l. j. §. is qui depoſitam. eod. tit. & ſequitur Panor. in c. Cum olim. lo ij. de offic. deleg. { vbi vide glo. & Felin. num. ij. Sylueſt. in verbo falſarius. §. j. in ſumma ſua, & Laſ. in §. pœnales.

num.xxxvj.inſtit.de actio. & Auguſtin.in addit.ad Angel.in tracta.de malefic.in verbo, falſario. num. x.} & Iaſon in l. Non dubium. in col.antepen.C.de legi. Clericus verò hoc faciens incurrit pœnam depoſitionis.ita ſcripſit Roman. conſil.cccIxv. incip. Quæritur primò,qua pœna.circa fin. hoc ſolo fundamento motus, quòd de iure Canonico pœna falſi eſt depoſitio in clerico,per text.in c. Ad falſariorũ. de crimi.fal. ſed ſalua eius autoritate hoc non videtur verum:quia ille textus non imponit pœnam depoſitionis clerico pro qualibet falſitate,ſed quando vtitur falſis literis Papæ : non ergo videtur poſſe illud extendi ad hoc delictum. Vnde crederem clericum in hoc puniendum eſſe arbitrariè,conſideratis his quæ in arbitrariis pœnis conſideranda inferius declarabimus. Si verò aliquis aperuit literas vt videret, & aliis non oſtendit, tunc non tenetur pœna falſi, ſed extraordinariè punietur.ita Bart.& Rom. Panor. & Iaſon vbi ſuprà. & idem notat Felin. poſt Innoc.in d.cap. Cum olim, qui dicit quòd iſto caſu pœna eſt arbitraria. Vnde idem dicendum eſt in clerico.

Eccleſiaſticos viros vt ſua reſignent beneficia, ac ne citati ad curiam accedant capientes.

CAPVT XCVII.

PERSONAE Eccleſiaſticæ hoc vt fiat procurantes, ſi fuerint prælati inferiores eo ipſo obtentis beneficiis ſint priuati.ita diſponit text.in Cle.multorum.

de

dē pœnis. Intellige tamen quòd per ſolam capturam factam ad finem quòd quis renunciet, ſi tamen in effectu non renunciauit, non incurrit capiens iſtam pœnam. Sic declarat Cardi. ibi poſt Zenzeli. in v.j.q. & idem dicit poſt Paul. ibi, in quæſtio. x. quando liquidò poſſet probari quòd detentio non fuit cauſa quòd captus non accederet ad curiam, quia tunc capiens non incurrit pœnam.

Incendiarij.

CAPVT XCVIII.

INCENDIARIORVM malitiam peſsimam depopulatricem ac horrēdam appellat text. in c. Peſsimam. xxiij. quæſt. viij. & in eo deſcribitur pœna laicis incendiariis imponenda per eccleſiam, quæ grauis eſt: { & de ea latè ſcripſit Auguſti. in addition. ad Angelum, de maleficiis, verbo incendiario, nu. vj. } Clericis tamen delicti huius pœna infligenda in canonibus ſcripta non reperitur: forſan enim non ſunt arbitrati conditores canonum aliquem clericorum in tantum ſcelus incurſurum, abſque vlla ſui vtilitate ſeu voluptate, ac magna aliorum iactura, ideo erit arbitrio iudicis relinquenda, iuxta doli ac loci, & damnorum qualitatem & quantitatem: qui ſemper etiam in hoc attendere debebit, qualiter cuiuſcunque regni leges in hoc animaduertant, vt vbi fuerit legum cenſura grauior, ibi etiam ſit pœna ſeuerior.

Raptorum & ecclesiarum violatorum nõ satisfacientium sepulturis interessentes, eorúmq; eleemosynas recipientes ac de eorum rapina participantes.

CAPVT XCIX.

MANIFESTVS raptor, vel ecclesiæ violator nisi prius ablata restituat si potest, vel emendandi firmam & plenam securitatem fecerit, beneficium pœnitentiæ ei penitus denegatur. Qui autem in sanitate, obstinata mente non pœnituerit vel emendauerit, & in morte securitatem præstare nequiuerit, solennitas pœnitentię parum ei prodesse videtur. Sed de peccato contrito corde viaticum non negatur: ita tamen quòd nullus clericorũ sepulturis illius interfit, nec eius eleemosynam præsumat recipere. Quòd si aliqui clericorum vel presbyterorum contra hoc in vita vel in morte pœnitẽtias dare attentauerint, aut sepulturæ eorum interesse, vel eleemosynas accipere: aut si aliqui eorum huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint, patiuntur ordinis sui damnum irrecuperabiliter. ita disponit textus in cap. ij. de raptoribus & incend. Et sic clericus in hoc delinquẽs debet deponi, & priuari beneficio: vt notat Abbas ibi. Inquantum autem suprà dicitur quòd damnum ordinis, & sic depositio fit irrecuperabiliter, dicit Abbas ibi post Ioan. Andr. quòd hoc ideo dicitur, ad denotandum quòd episcopus proprius nõ potest clericum propter hoc depositũ restituere, sed requiritur

ritur diſpẽſatio Papæ:quod etiam notat Antonius, licet eum Abbas non alleget:in beneficio tamen credit Abbas quòd poterit epiſcopus diſpenſare, allegat text.in capitu.Salonitanæ.lxiij.diſt.& bo.tex.in cap.ij.de cleric. pug. in duel. vbi epiſcopus diſpenſat cum homicida in beneficio, & ad ibi dicta ſe remittit. Item aduerte quòd licet raptori vel violatori prædictis qui pœnituerunt in morte, quado non potuerunt ſatisfacere,denegetur ſepultura in eccleſia,cœmeterium tamen non denegatur, vt per gloſ. fina.ibi.Clerici tamen etiam in ſepultura cœmeterij non debent intereſſe, vt not. Abb. vbi ſuprà,in fina. verbis, quod etiam voluit Anto. ibi. Dum autem ſuprà dictum eſt quòd talibus non eſt danda pœnitentia in vita, nec in morte ſub pœna ſuprà dicta. Intelligant tamen ſacerdotes quòd poſſunt admittere dictos raptores ſeu violatores ad pœnitentiam aliorum criminum ſine metu pœnæ,ſi ipſi velint de ipſis pœnitentiam agere,vt per gloſſam & doctores ibi:quamuis illa ad vitam æternam non ſit fructuoſa,vt per eos ibi.

Sortilegi.

CAPVT C.

SORTILEGI (vt beato Iſidoro placuit) illi ſunt qui ſub nomine fictæ religionis per quaſdam, quas ſanctorum ſeu Apoſtolorum vocant ſortes, diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt, vt habetur in capitu. vno. xxvj. quæſtio. j. Pœna clerici ſortilegi ſecundùm Antonium de Butrio in capitu. At ſi

clerici.de iudi.est quòd depositus tradatur curiæ secu-
lari,pro quo allegat tex.in cap. Admoneãt. xxvj.
quæst.vij.& sic addit ipse quartum casum ad glos.
in cap.Ad abolendam,de hæreticis.in quo quis sta-
tim post depositionem traditur curiæ seculari.sed
Abb. ibi in col. xiij. credit quòd Anto.in hoc non
bene dicat:quia illud cap. Admoneãt.nõ dicit quòd
sortilegus debet seculari curiæ tradi , sed quòd de-
beat degradari si clericus est : & quòd cùm materia
sit odiosa & valde exorbitans,debet intelligi de de-
gradatione verbali. Vnde Abbas videtur conclude-
re quòd pœna huius delicti sit illa de qua in ca. Tuæ.
de pœnis. Et quòd istud delictum comprehendatur
sub verbis(magnis sceleribus)in dict.capitu.positis,
& sic quòd clericus in hoc delinquens,verbaliter
degradetur,& in monasterium detrudatur.& istam
opinionem Abb. contra Anton. sequitur Areti. in
capit.Cum non ab homine,colum. x.de iudi. versi.
addit etiam.Et sequitur etiam Decius in c. At si cle-
rici.col.xxij.de Iudi.versi.Quartus casus.Arnaldus
in repeti.c. Quoniam. de hæreti.in vj. in col. cxiiij.
versic.Quartò fallit.& vide eundem Abb.in c. ij. de
sortile.in glos. j. vbi ex ea, & ex text.colligit vnum
valde notandum,videlicet quòd in pœna imponen-
da sortilegis, vel eos consulentibus, debet animad-
uertere iudex ad qualitatem & quantitatem delicti,
& ad animum delinquentis , & secundùm hoc pœ-
nam imponere,quandoque acerrimam, quandoque
grauem,quandoque leuem:ex quo videtur quòd nõ
potest dari certa regula: cuius opinionem sequitur
Paul.Grillan.in tracta.de sortilegiis, in quæst. xj. in
col.ij. versi.Clerici verò. Quuem vide in illo tracta.

quia

quia per quindecim folia & amplius plura colligit in materia ſortilegiorum, quorum aliqua concernunt clericos, quæ quidem trãſcribere nolui. Et vide hodie decretum Concilij Lateranenſ. ſub Leone decimo celebrati, in nona ſeſsione, vbi diſponitur quòd clerici qui inuenti fuerint culpabiles in ſortilegiis per inuocationem dæmonum incantationibus, ac diuinationibus, ſuperſtitionibus, arbitrio ſuperiorum infamia notentur. Si verò non deſtiterint, deponantur, atque in monaſterium ad tempus arbitrio ſuperiorum præfiniendum detrudantur, beneficiiſq; & officiis eccleſiaſticis priuẽtur. { tex. autem in Canone lxviij. Concilij Agathenſis proiiciendos ab Eccleſia iubebat clericos magos, aut incantatores ſiue facientes philacteria. }

Conſulentéſque aruſpices, Incantatores
Ariolos, Augures, Sortilegos,
ac eos qui artem magicam
profitentur.

CAPVT CI.

PRESBYTER, diaconus, vel quilibet de ordinibus clericorum qui fuerit deprehenſus conſuluiſſe prædictos, vel aliquos ipſorum, ab honore dignitatis ſuæ ſuſpenſus monaſterij curam excipiat, ibíque pœnitentiæ perpetuæ deditus ſcelus admiſſum ſacrilegij ſoluat. Ita ſanxit quartum concilium Toletanum, { in Canone xxviij. } quod refert Gratianus in c. Si quis epiſcopus, xxvj. quæſt. v.

Pecca

Peccatores qui ſibi confeſsi ſunt ſignis aut verbis prodentes.

CAPVT CII.

SICVT enim mortalibus cunctis immortalem illam vitam amantibus expedit, vt quæ non puduit committere ſcelera, fateri nõ erubeſcant ſacerdotibus, vti veris animarũ medicis, & quibus ſolis illis mederi cõceſſum eſt. Sic enim ſummè cernitur neceſſarium ſacerdotibus ipſis, reuelatorum ſibi ſcelerum, ſecretum indicere, vt tantò apertius ſua pandant facinora perpetrantes, quantò ſecurius illa propalare cognouerint: pauci quidem animæ ſuæ ſalutem (cum famæ, rerum ac vitæ diſpendio) quærerent. Hinc eſt quòd eadem cura qua in ſacris canonibus confeſsio peccatorum fieri præcipitur, reuelari prohibetur, ac vltra prohibitionem contrarium facientibus, cõdigna pœna conſcribitur. Vnde Gregor. ſtatuit quòd peccata ſibi cõfeſſa reuelãs deponatur, & quòd omnibus diebus vitæ ſuæ peregrinando pergat, vt in c. Sacerdos. de pœni. diſtin. vj. Eadem etiam depoſitionis pœna impoſita fuit per concilium generale: & vltra id fuit additum quòd propter hoc depoſitus in arctum monaſterium ad agendã perpetuã pœnitẽtiã detrudatur, vt in ca. Omnis vtriuſq;. de pœni. & remiſ. & ſi timetur de fuga, poſſet detrudi in ſtrictũ carcerẽ, vt notat ibi Abb. in ij. col. vij. notabi. allegando text. in cap. Vt famæ. de ſentent. excom. {quod ſecutus bonus ille præſul Veronenſis Io. Matthæus in ſuis Cõſtitutionibus tit. ix. c. iij. Clericum hoc facinus perpetrantem beneficiis officiis

ciis

ciíſque eo ipſo ſuſpenſum, priuatum, perpetuíſque addictum vinculis voluit, ac declarauit. } Et nota quòd ad celandũ cõfeſsionem nõ ſolùm tenetur qui illam audiuit, verùm etiam interpres, & ille qui caſu illam audiuit, & is cui de licentia confitentis ſacerdos reuelauit, & qui fingit ſe cõfeſſorem eſſe, & qui latenter abſconditus confeſsionẽ audit. Item ſacerdos qui dimidiam confeſsionem audiuit, vel qui aliâs poſt auditam confeſsionem non abſoluit, vt notat Florentin. referendo Petrum de Palude in iij. parte titu. xvij. capitu. xxij. in §. j. in fi. & in §. ij. { Et Silueſt. in ſumma, verbo confeſsio. lo iij. §. j. } Vnde bene crederem quòd ſi aliquis prædictorum, qui clericus eſſet, reuelaret peccata ſic audita, puniendus eſſet prædicta ordinaria pœna: quia omnes illi verè dicuntur audire confeſsionem, licet interpreti & illi qui caſu audit, vel cui de licentia reuelata eſt confeſsio, vel qui abſconditus audiuit, non poſſet dici quòd verè fuit pœnitens confeſſus. Sufficit enim quòd verum eſt illos audiſſe peccata in confeſsione dicta, & quæ ſoli Deo in præſentia hominis dicebantur: quàmuis bene verum ſit quòd non omnium prædictorum par ſit culpa vel dolus in reuelando, quod operabitur vt in detruſione monaſterij vel carceris mitius ſe habeat Iudex cum vno, quàm cum alio. Et aduerte quòd dicitur ſacerdos reuelare confeſsionem, ſi diceret quòd talis habet peccata (nominando eum) à quibus ipſe non poteſt eum abſoluere, vt notat Florentin. in dicto §. j. referendo Petrum de Palude, qui etiam addit quòd idem eſt ſi ſacerdos dicat, ego audiui talem (nominando etiam eum) in confeſsione, & non abſolui

illum

illum. Crederem tamẽ quod in his duobus casibus sa cerdos nõ esset puniẽdus dicta pœna ordinaria: quia nõ potest verè dici quòd reuelauerit peccata cõfitẽtis, licet sit verũ reuelasse confessionẽ: & iura in d. c. Sacerdos. & in c. Omnis. imponunt pœnam reuelanti peccata, non verò reuelanti cõfessionem, vt patet ex eis: quàmuis bene crederẽ ipsum aliâs bene puniẽdum iuxta qualitatem delicti. Sacerdoti verò bonæ famæ, & honestæ vitæ dicenti se habuisse licentiam pœnitentis ad reuelandum confessionem credi debet: cùm talis actus licentiæ secretò fieri soleat, & nullo interueniente teste, ad hoc saltem vt trãsferat onus probandi in asserentem sine licentia reuelasse. ita placuit Lapo in allegatione. xciiij. incipien. Quidam presbyter. in col. ij. qui dicit hoc præsertim procedere, quãdo tertius accusat sacerdotem de reuelatione. Quando verò idem qui peccata confessus est, tunc fortè dicit secus esse: quem vide declarantẽ quomodo possit contra sacerdotem probari quòd sine licentia reuelauerit confessionem. Et vide etiam eundem asserentem post Hostien. quòd si sacerdos affirmet se aliter sciuisse illud quàm per confessionem, quòd vt puniatur pœna d. c. Omnis. oportet vt probetur quòd per confessionem illud sciuerit. & vide Abb. in d. c. Omnis. in vltima quæst. vbi referendo Hostiens. dicit quòd nisi sacerdos doceat aliunde illud habuisse, præsumendum est illud habuisse in confessione, non tamen punitur pœna ordinaria illius text. sed pœna arbitraria, quia apertè non conuincitur de delicto. Et illud dictũ Host. dicit sing. Barba. in ij. volu. consi. lxx. incip. Sapienter non fallor. in col. vij. in princi. Et sic ad euitandam

pœn

pœnam arbitrariam tenebitur ſacerdos probare quòd aliunde ſciuerit: quod videtur procedere in proprio ſacerdote, vt text. ibi loquitur, & Docto. Si verò confeſſor ſit vigore ſpecialis priuilegij aſſumptus, vel de licentia proprij ſacerdotis, non eſſet præſumptio contra eum, niſi peccatum diceretur commiſſum eo anno quo extraneus ſacerdos inculpatus confeſsionem audiuit. Sed in hoc tandem non poteſt dari certa doctrina: hanc enim præſumptionem qualitas peccati, confeſſoris, & pœnitentis augebit aut minuet.

Blaſphemi.

CAPVT CIII.

BLASPHEMIAE ſcelus temporibus iſtis ex hoc (vt piè credendum eſt) tot calamitatibus plenis ſatis in vſu eſt. Cúmque hoc magis quàm alia crimina ipſum Deum creatorem omnium offendat, ac ad illud perpetrandum nullus alliciat carnalis appetitus, nec auaritiæ ſitis vlla commoueat, nulla denique inſtiget aſtrorum influentia, mitiori plectitur pœna. Sæuiunt humanæ leges communes ac regiæ in falſam monetam fabricantes, extra regna res vetitas deferentes, ínque latrunculorum aures, conſuetudinaria pœna conſurgit: mutilantur manibus ac pedibus ob leuiora ſæpius homines. Sola blaſphemantium lingua peccat impunè, quos Iudæis deteriores vocat Hoſtienſ. in ſumma, de exceſsibus prælator. §. clericus. quia fruſtratim decidunt mẽbra illius, qui eos proprio ſanguine redemit, cuius corpus ſaltem Iudæi integrum reſeruarunt. Qui in lege

vet

veteri blaſphemabat nomen domini lapidibus oppri mebatur ab vniuerſo populo: quæ pœna ab ipſo o- mnipotente Deo impoſita eſt, quo tẽpore nondum Deus talia ac tanta cõceſſerat hominibus dona. Nũc autem quando Deus homo factus (vt hominibus amiſſum redderet honorem) vitam & ſanguinẽ præ- ſtitit, blaſphemiis paſsim ab eiſdem hominibus inho noratur: nec qui blaſphemat pœnã, ſed qui reprehen dit periculũ ſubiit: &, quòd deterius eſt, audientes qui ad vindictam, ſeu ad correctionem ſaltem mo- ueri deberent, prouocantur ad riſum. Iuſtinianus il- le, & ſi non inter omnes Chriſtianos principes ſan- ctior vltimo ſupplicio blaſphemos damnari cẽſuit, pares eos nefandi criminis reis iudicando, & iuſtè quidem. Quid enim magis nefariũ, quid enim natu- ræ ipſi magis aduerſum, quàm vt creatura in ſuum inuehatur creatorem? Quid à brutis ipſis alienius quorũ nullũ quauis innata feritate vigeat, ſuũ offen- dit benefactorem, nec in offendendo ſolùm ſe gratũ oſtendere credit, niſi defendat opportunitate con- ceſſa, ac membris ferè omnibus ſui corporis ſe debi- torem fateri conetur. Cúmque lingua id fari natura non dederit, eadem ſaltem benefactoris pedes lam- bendo fatetur. O ſæculum infelix, ô ætas iam omni- no lutea, ô homines Chriſtianorum nomen vſur- pantes ad maiorem in die iudicij confuſionem, & in gehenna pœnam. Inſurgit quiſq; veſtrum ac furit ſi principem ſuum terrenum, ſi dominum, amicum, famulum, ſi denique ſeruum iniuria afficere audit. Si creatorem ac redemptorem veſtrum, & præſentis vitæ huius, (quæ vobis tam dulcis eſt, quia futuram timetis amaram) largitorem & auctorem, ac futu-

rum

rum iudicem asperrimum blasphemare auditis, obmutescitis? Vbi fides? vbi religio? Quid prodest Christiani sanguinis antiqui iactantia, quæ vobis solùm ad neophitorum improbatum seruit contemptum? Dedecus ac infamiæ notam censetis, si quorum cibis ad tempus nutrimini (etiam cum vitæ iactura) iniuriam linquitis inultam. Nõne maiorem ignominiam oporteret iudicare illius per quẽ estis quicquid estis, blasphemiam patienter audire, ac tepidè reprehendere, & blasphemantium sæpius cœtibus admisceri, ac quò blasphemi conueniant fouere ludos? O nobiles (quos sæpius non parentum virtus, sed rapinæ, violentiæ, aliíq; ignobiles actus ad diuitias primùm, ac inde ad nobilitatem euexerunt) qui inimicos amicorum vsq; ad necem ex lege quadam nobilitatis persequimini, & inimicos Dei & creatoris vestri intra familiam alitis, defenditis, sustinetísque. In quo fiduciam cælestis regni possidendi ponitis, si inimicos vestros, quos Deus diligere præcipit, odio habetis, suos autem suum nomen blasphemantes diligitis? O ignaui, ac infelices iudices, qui potestate diuina in terris vtimini, quorum iussis ob id cæteri homines natura pares, & meritis sæpius meliores obtemperant, quo negociorum maiori deceret versari sollicitudine, quàm vt diuini nominis blasphemos insequeremini, captos nullo personarum discrimine, nulla legalis pœnæ dispensatione puniretis? O summa pietas qui solus bonus es, & cuius solius omnia opera bona sunt: non possum nisi cum Dauid scisciatari, Vsquequo Domine improperabit inimicus, irritabit aduersarius nomen tuum, ac cum eo deprecari, Vt exurgas

Deus & iudices cauſam tuam, & memor ſis impro-
periorum tuorum, eorũ quæ ab inſipientibus fiunt
tota die. Maior quidem erit pietas, ſi tanti criminis
perpetratores viuẽtes paterno affligas amore, vt re-
ſipiſcant, quàm ſi mortuos eos cruciari iubeas in-
æternum, vt loquelam damnatorũ, quam viui fari
cœperũt, perpetuo luctu nunquàm fari prætermit-
tant, non in tuæ gloriæ diminutionẽ, ſed in ſuæ po-
tius miſeriæ calamitatíſq; augmẽtum. His igitur in
demonſtrationẽ huius criminis grauitatis, ſic præ-
libatis ad pœnam clericis illud committentibus in-
fligendam veniamus, quæ quidem tantò grauior in
eis eſſe deberet, quantò ab ipſis grauius quàm à lai-
cis in hoc delinquitur, ea potiſsimùm ratione. Nam
præter id quod ſicut & cæteri hominũ manu ipſius
Dei teneantur, eius ſtipendiis, vnigeniti filij ſui Do-
mini noſtri patrimonio particulariter aluntur. Et
text. in c. Si quis per capillum. xxij. q. j. contra cleri-
cum ſtatuit in hæc verba. Si quis per capillũ Dei vel
caput iurauerit, vel alio modo contra Deũ blaſphe-
mia vſus fuerit, ſi in aliquo ordine eccleſiaſtico eſt,
deponatur: cuius canonis antiqui pœnam tanquam
vetuſtate collapſam ceſſare cenſuit Hoſtien. in ſum-
ma, de male. in §. blaſphemantes. verſ. grauior etiam.
& hodie arbitraria pœna cenſuit puniendum cleri-
cum blaſphemantẽ: cuius ſentẽtiæ videtur adhære-
re Ioan. And. { Ancha. Anto. & Card. in c. ij. de ma-
ledi. vbi Abb. dicit ꝙ ita cõmuniter dicitur, Quãuis
contrariũ ſcripſerit Bonifacius de Vitelinis in ſuo
tract. maleficiorũ fol. xiij. in rubr. de pœnis blaſphe-
mantiũ Deum & Sanctos, neminẽ pro ſua opinione
referẽs. } Cùm autem clericus rebellis fuerit, vel fæ-

pius

pius hoc delictum cõmiserit, tunc degradandũ eum iuxta dispositionem dicti canonis scripsit Host. vbi suprà, {de quo meminit Guilel. benedicti, in iij. parte repet. c. Rainutius, in q. de homic. nu. xxxix. col. xvj. fol. xlviij.} ex quo videtur velle solùm data incorrigibilitate vel consuetudine blasphemandi clericum esse deponendũ pro isto crimine: cuius in hoc sentẽtiæ adhæsit Alexan. in consil. lxxij. in j. vol. col. iiij. versic. Præterea. dum referendo Hosti. vbi suprà dicit q̃ clericus propter hoc non potest deponi, nisi sæpius sit consuetus: qui plus audet affirmare, quòd non sufficeret probare quòd bis vel ter blasphemauit ad hoc vt dicatur consuetus blasphemare, pro quo allegat Cinum in l. ij. C. de re. credi. & quòd talis consuetudo blasphemandi debet probari per testes non singulares. pro quo refert Cinũ, Ioan. And. Paul. de Elea. & Anto. in variis locis. Panor. autem in d. c. ij. de male. dicit, quòd ita graue potest esse delictum, quòd fieret depositio; & allegat text. in d. c. Si quis per capillum, & de cõsuetudine blasphemandi nihil dicit: ex quo videtur tenere quòd quando grauis esset blasphemia, tũc habeat locum pœna canonis antiqui de quo suprà. Pœnam verò in d. c. ij. de maledi. descriptam clericos non subire Hostien. in summa illius tit. & Ioan. And. & Panor. ibi. eo. c. ij. licet Alexan. in d. consil. referat Hostien. aliter tenere & corruptè, quia oppositũ tenuit eius ad quod allegatur ab Alexan. Hodie verò in Concilio Lateranensi sub Leone x. celebrato clericis blasphemantibus pœna decreta est sub his verbis. Quicunque Deo palam seu publicè maledixerit, cõtumeliosíſq; atque obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum

Christum, vel gloriosam virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, si clericus vel sacerdos fuerit, eo ipso quòd de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum quæcunq; habuerit fructibus (applicando vt infrà) vnius anni mulctetur: & hoc sit pro prima vice, pro secũda verò si ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, si vnicum habuerit beneficiũ, eo priuetur, si autem plura, quod ordinarius maluerit id amittere cogatur. Quòd si tertiò eius sceleris arguatur & conuincatur, dignitatibus & beneficiis omnibus quæcunq; habuerit eo ipso priuatus existat, ad eáq; vlterius retinenda inhabilis reddatur, eáque liberè impetrari, & cõferri possint. Distributio verò prædictorum fructuum (vt ex dicto c. Concilij. colligi potest, in alio casu quo etiam amissionem fructuum imponit) in fabricas beneficiorum huiusmodi, vel pauperum eleemosynas facienda est.

Apostatæ.

CAPVT CIIII.

PRAEMISSO prius quòd est triplex species Apostasiæ, vt per glo. in c. j. de apostа. & ibi Inno. & per Hostien. in summa eiusdẽ tit. in §. Quot species scilicet perfidiæ, inobedientiæ, & irregularitatis. Omissa prima specie quia magis videtur pertinere ad materiã hæresis. { Quæ fuerit pœna antiquorum canonum illius qui religionis professionem apostatauit, posuit Concilium Arelatense secundum, Canone finali, in hæc verba: Si qui post sanctam religionis professionem apostatãt, & ad seculum redeunt, & postmodum

modū pœnitentiæ remedia non requirūt, ſine pœnitentia cōmunionē pœnitus non accipiant, quos etiā iubemus ad clericatus officium nō admitti, & quicunque ille ſit, poſt pœnitentiam ſecularem habitū nō præſumat, quòd ſi præſumpſerit, ab eccleſia alienus habeatur. }Pœna clerici apoſtatæ in ſecūda ſpecie ſcilicet inobedientiæ eſt quòd infamis efficitur durante Apoſtaſia, & à teſtimonio repellitur & excommunicatur: vt notat Hoſt. vbi ſuprà, in §. Qualiter puniātur. per text. in c. Si quis à vero. iij. quæſt. iiij. Et in c. Si autem vobis. xj. quæſt. iij. Et ſi non reſipuerit, degradatur ſecūdùm eū. Vide tamen Abb. in dict. cap. j. vbi aliter diſtinguit, videlicet quòd ſi quis nō vult obedire Papæ ſeu eius canonibus, credendo eum non habere poteſtatem, punitur vt hæreticus. Si verò hoc facit ex cōtemptu, debet deponi: & ſi fuerit incorrigibilis, traditur curiæ ſeculari, & poterit excommunicari. Si autem inobediens eſt ex aliqua concupiſcentia, tunc mitius punitur. Pœna inſuper apoſtatæ in tertia ſpecie irregularitatis quæ fit multis modis ſecundùm Innoc. in d. c. j. poſt gloſ. ibi, ſcilicet quando quis recedit ab ordine ſuo, ſiue ſumptæ religionis dimittendo tonſuram vel coronam, vel accipiendo vxorem, vel abiiciendo religionis veſtem, vel clericalem, redeūdo ad ſeculum, eſt quòd illa durāte repellitur ab accuſatione & teſtimonio, & eſt infamis ipſo iure, vt in cap. Alieni. ij. quæſt. vij. & in cap. Beatus. iij. quæſt. iiij. ſecundùm Hoſtien. vbi ſuprà. Nec poteſt ad dignitatem eligi, vt in cap. Legi. xvj. quæſtio. j. & clericus admonitus ſi ſe non correxerit, deponendus eſt, vt in cap. Sine ornatu. & in c. Præcipimus. xxj. q. iiij. &

in cap. Sin autem, cum duob. ſeq. xvj. quæſt. iij. ſecundùm eum ibi. Item quod caret priuilegio clericali, vt in c. j. eod. tit. vbi text. dicit quòd clerici qui relicto ordine clericali, & habitu ſuo in apoſtaſia tãquam laici conuerſantur, ſi in criminibus comprehenſi teneantur, non liberantur per cenſuram eccleſiaſticam. Quæ pœnæ procedunt quãdo conſtat de Apoſtaſia. Si verò de illa fuerint grauiter infamati, deficiente probatione cõpelluntur per eccleſiaſticã diſtrictionem ad ſe purgandum, vt in c. Tuæ. eo. tit. Quando autem clericus non poteſt induci ad reſumendum malè dimiſſum habitũ, tũc poteſt incarcerari ſub graui cuſtodia, ita quòd ſolùm ſibi vita miſera reſeruetur, donec à ſuę preſumptionis nequitia reſipiſcat, vt ſunt verba text. in cap. A nobis. eod. tit.

Schiſmatici.

CAPVT CV.

CLERICI { faciẽtes ſchiſma contra Epiſcopum, puniuntur per Concilium Carthaginenſe ſecũdum, in canone viij. ſub verbis huiuſmodi: Si quis presbyter à Præpoſito ſuo excommunicatus vel correptus fuerit, decet vtique apud vicinos Epiſcopos conqueri, vt ab ipſis eius cauſa poſsit audiri, ac per ipſos ſuò Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbia (quod abſit) inflatus, ſecernendũ ſe ab Epiſcopi ſui cõmunione duxerit, ac ſeparatim cum aliquibus ſchiſma faciens ſacrificiũ Deo obtulerit, loco amiſſo Anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominus & de ciuitate & cõgregatione in qua fuerit, longius repellatur. Nũc autem ſchiſmaticus } cleric

clericus degradatur, & traditur curiæ ſeculari, ita voluit Bonaguida, quẽ refert Ioan. Andr. in c. Cum non ab homine. de Iudi. motus per text. in cap. de liguribus. xxiij. q. v. quod intelligitur de incorrigibili, vt per gloſ. in d. c. Cum non ab homine. de Iudi. quod etiam ſequitur ibi Ioan. And. vt refert Abb. in c. At ſi clerici. de Iudi. col. xiij. & probatur in eo. c. de liguribus, dum dicit, ſi cõtempſerit & permanſerit, per publicas poteſtates opprimatur, & ita etiam intelligit Decius in c. At ſi clerici. in col. xxij. verſ. Quintus caſus. de Iudi. dicit tamen Ioan. Andr. vbi ſuprà, vt refert Abb. d. loco, ꝙ ſi eſſet ſchiſma cõtra Eccleſiam Romanã, poſſet procedere dictum illud Bonaguidæ: quia tũc poſſet includi ſchiſma ſub caſu hæreſis, quod non placet Abb. indiſtinctè, ideo ipſe diſtinguit. Aut enim ſchiſmaticus credit eccleſiam eſſe penes alterũ tãtùm ex pluribus qui ſe gerũt pro ſummis pontificibus, & tũc eſt ſchiſma ſine hęreſi. Aut credit eccleſiã poſſe cõſiſtere penes duos in ſolidũ, & tũc eſt ſchiſma cũ hæreſi: & hoc vltimo caſu poſſet ſaluari opinio Io. And. & idẽ dicit quãdo plures erigerent capita cõtra eccleſiã Romanam facientes nouã ſectã, & noua ſtatuta: quia tũc etiã eſt ſchiſma cum hæreſi. Et iſtam diſtinctionẽ Abb. ſequitur Aret. in c. Cũ non ab homine. col. x. de Iudi.

Hæretici.

CAPVT CVI.

PRAEMISSO prius quis dicatur hæreticus, cùm nõ ſit præſentis ſpeculationis, quia variis in locis hoc doctores enucleant, præcipuè Hoſtien. in ſumma. de

hæreti.§.j.{ & Bonifac.in tract.maleficiorum,rubr. De crimine hæresis. } Et Doctor noster Hispanus Didacus de Villadiego in suo tractatu contra hęreticam prauitatem, in j.quæstio. & Arnal. Alber. in repet. Rubri.de hæreti. in vj. in fol.j.in j. quæstio. Vna pœnarũ qua dãnatur clericus hæreticus est ꝙ ipso iure est priuatus beneficio, vt probat text. iuncta gl.in c.Quo iure. viij.distin. & ibi notat Præpo. post Domini.& notat Compostel.in c.Quod sicut. de electio. in col.xj.dum dicit ꝙ crimẽ hæresis ipso facto inducit priuationẽ. idem etiam notat Ancha. in consil. cclxxxviij. incip. Vltra alia solenniter. vt refert Feli.in c.ij. de rescript.in iiij.col. Et notat Nicolaus de Milis in suo repertorio, in verbo hæretici.ex quo resultat primus effectus,ꝙ non poterit renũciare post commissum delictum. Secundus quòd agenti petitorio pro beneficio quod semel habuit, obstat exceptio quòd sit hæreticus. Notat Abb. referendo Inno.in cap.Inter dilectos.de excess.prælet. prope fin.& prædicta conclusio,videlicet quòd hæreticus sit priuatus ipso iure beneficio fuit potissimum fundamentũ dominorum de Rota,qui tenuerunt quòd regula Cancellariæ xxxij. quæ disponit quòd impetrans beneficium pacificè possessum debet exprimere ea de quibus ibi, non habet locum in impetrante beneficium hæretici, vt refert Guiliel. Casador.in decisio.Rotæ per eum collectis,in deci. xiiij. qui ita dicit fuisse iudicatum per maiorẽ partem dominorum de Rota: licet alij quatuor eorum fuerint in cõtraria opinione, per quẽ poteris videre fundamenta vtriusq; opinionis. Et vide Phili. in c.Vt commissi.prope fin.de hæreti. lib.vj. vbi dicit

refendo

referendo Domi. & Imo. quòd clericus hæreticus rediens ad fidem ante ſentẽtiam recuperat beneficiũ, ſecus autem ſi poſt, quia tunc non niſi ex diſpẽſatione. Alia & principalior pœna eſt quòd degradatus traditur curiæ ſeculari, vt in capitu. Ad abolendam. de hæret. Quod fallit, niſi talis hæreticus velit ſe corrigere. vt in cap. penult. de hæret. Et notat. Abb. in dicto capitu. Ad abolendam. & ibi Ioan. de Ana. quia tunc depoſitus detruditur in carcerem, vt concludit Abb. in cap. At ſi clerici. de Iudi. col. xij. Idem Abb. & Ana. in d. cap. penult. & Domi. in cap. j. in v. nota. de hære. in vj. & in c. Nec licuit. xvij. di. & notat Philip. in c. Vt cõmiſſi. in iiij. nota. de hæret. lib. vj. Decius in d. c. At ſi clerici. col. xxj. verſ. Et quãdo. Et nota quòd etiam ſi non ſit tradendus curiæ ſeculari clericus hæreticus, ſed perpetuo carceri mancipandus debet degradari. vt notatur in c. j. de hæret. in vj. maximè per Arnal. ibi in vj. nota. Si tamẽ ſemel deliquit & ſe correxit, & poſteà iteratò delinquat, nihilominus traditur curiæ ſeculari. ita Domini. in d. c. Nec licuit. per tex. in c. Super eo. de hæret. lib. vj. Sequitur Feli. in d. c. At ſi clerici. col. fi. & voluit ibi Abb. in d. col. xij. verſ. Ad tertium. Vide l. antepen. tit. vj. parti. j. quæ videtur ponere tres caſus in quibus in iſta materia hæreſis clericus traditur curiæ ſeculari, quando fuerit inuentus in hæreſi, aut abiurauit eam, & fuit relapſus, aut quando ſe compurgauit, & reincidit in eam, & degradatio hæretici poteſt fieri per epiſcopũ propriũ ſolũ, vt in c. j. de hęret. in vj. vocatis aliis perſonis de quibus ibi. Eſt alia & tertia pœna quã clericus hęreticus patitur, quòd bona eius publicantur, & eccleſiæ à qua ſtipendia rece-

perat applicantur, vt disponitur in c. Excommunicamus. lo j. §. damnati verò. de hæreti. Vbi vide glos. in verbo, Stipendia, declarantem quòd si clericus habeat plura stipendia in variis ecclesiis: tunc bona diuidentur pro rata inter eas: quam ibi sequitur Anto. Et quia ille tex. non aperit cui applicentur bona clerici hęretici non habentis ecclesias, vide ibi Abb. in j. colum. credentem quòd tunc debeant applicari episcopo loci qui distribuat ea in pios vsus, quod sequitur Ana. in ij. colu. Quando autem talis clericus habet bona emphyteoticaria à domino temporali, tunc illa deberent applicari domino rei emphyteoticæ, vt videtur velle Oldra. in consi. xvij. incip. Thema tale est, Quidam clericus. Cardi. tamen in clement. ij. de hæreti. in versic. Inquisitoribus, in. vij. quæsti. post bonam huius articuli examinationem concludit verius esse dicendum quòd emphyteosis clerici damnati applicatur ecclesiæ sicut & alia eius bona, quia non apparet ratio diuersitatis: erit tamen talis emphyteosis obnoxia domino temporali quo ad hoc quòd ei debeatur sua pẽsio, quem vide respondentem ad fundamenta Oldra. quàmuis Feli. in d. c. excommunicamus. in prin. non bene referat Cardi. dum dicit post Ancha. & Ana. quòd bona etiam patrimonialia clerici applicantur fisco ecclesię, nisi in illis recognoscerent dominium vtile à domino seculari: quia illud non confiscabitur, sed reuerteretur ad dominum directi: quia vt suprà diximus loquendo in emphyteosi in qua clericus solùm habet dominium vtile, & dominus secularis directum, cõtrarium expressè tenet Cardi. Ad quod bene aduerte, ne decipiaris in prædicta limitatione

Feli.

Feli. quam suprà dictis verbis succinctis scripsit: & vi. in hoc quod latius scribimus infrà in verbo, Bonorum publicatione. Clerici verò credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorũ excommunicationi subiacent, ita vt postquàm quis eorum fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere cõtempserit intra annum, ab officio & beneficio deponatur, vt in c. Excommunicamus. §. Credentes. versi. Si verò clericus. de hæreti. Ex ratione, quia in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Inquãtum autem suprà dicitur credentes, intelligendum est, de credentibus hæreticos esse bonos viros, nam aliâs clerici credentes erroribus hæreticorum, cùm ex hoc dicantur hęretici, pœna hæreticorum de qua suprà puniendi sunt. & ita intelligit illud verbum credentes, Anto. in c. Excommunicamus. el ij. eod. titu. quem sequitur Ioan. dę Ana. in d. §. Credentes. quem ibi vide col. penult. & fin. declarantem etiam qui dicantur credentes, receptatores, & fautores. Et nota quòd prædicta pœna depositionis imponitur clericis vltra alias pœnas impositas in text. ibi, quas etiam habere locum in clericis dicit Host. ibi, quem refert & sequitur Ana. hodie fautores & receptatores hæreticorum sunt excommunicati ipso iure, vt patet in bulla quæ legitur in cœna domini, & & sic etiam erant tempore Hosti. prout refert Ana. ibi. Et vide Sylvest. in summa. in parte hæresis. lo j. versic. Octauò quæritur. qui colligit xiiij. pœnas hæreticorum, quæ omnes clericos comprehendunt, exceptis sex aut septem: quia illæ concernunt hæreticos habentes liberos & vxores.

Hæreticis, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus eorũ ecclesiastica sacramenta adhibentes, ac eos Christianæ sepulturæ tradentes, & eorum eleemosynas ac oblationes recipientes.

CAPVT CVII.

POENA clericorum in hoc delinquentiũ est vt suo priuentur officio, ad quod nũquàm restituantur absque indulto sedis Apostolicæ speciali, vt in cap. excõmunicamus. in §. Credentes. vers. Sanè clerici. de hæret. Quæ pœna procedit etiam in clericis regularibus, quibus & alia adiungitur, videlicet vt sua sibi priuilegia non obseruentur in illa diœcesi in qua talia præsumpserint perpetrare, vt ibi. Et notat Hostiens. in summa de hæret. in §. Quæ pœna. in fi. vers. Tales etiam. Intellige tamen hoc quòd dictis priuilegiis solùm delinquentes in hoc spoliãtur, non verò tota religio secundùm Anto. ibi, quem refert & sequitur Ana. ibi, pen. col. licet alij doctores aliter hoc intelexerint secundùm eum. Item nota quòd licet text. in d. §. Credentes, imponat pœnas de quibus ibi, credentibus, receptatoribus, & cæteris si satisfacere contempserint intra annum. Clerici tamen in casu huius nostri capitu. debent abstinere ab exhibitione sacramentorum, & traditione sepulturæ & receptione eleemosynarum, postquàm tales credentes, receptatores, & cæteri fuerint denunciati, etiam intra terminum illius anni qui datur ad alias pœnas incurrendas. ita videtur intelligere vers. Sane clerici,

ei, prædictũ Host. vbi suprà. licet tex. hoc nõ dicat, qui fortè ex eo ad hoc motus fuit, quia postquã sunt denunciati excommunicati propter tale crimen, deneganda sunt ecclesiastica sacramenta, & sepultura. Itẽ aduerte, quòd tales non solũ nõ in ecclesia, sed nec in cœmeterio, nec alibi ad modũ christianorũ sunt tumulandi, sed sunt iactandi in signum damnationis secundùm Ana. ibi, penult. col. in princ. Ex quo videtur quòd clerici incurrerent prædictam pœnam quomodocunque interessent sepulturæ prædictorum: quia text. ibi dicit, nec eos christianæ præsumant tradere sepulturæ. pro quo etiam facit quod suprà diximus, in verbo raptorum &c. prope fin.

Falsarij.

CAPVT CVIII.

CLERCI qui falsarij literarum Apostolicarum fuerint deprehensi, & per se falsitatis vitium exercuerint, omnibus ecclesiasticiis officiis & beneficiis priuati, & per ecclesiasticum iudicem degradati seculari potestati traduntur puniendi, secundùm legitimas constitutiones, per quas laici de falsitate conuicti puniuntur, vt in capitu. Ad falsariorum. de crimi. falcid. & pœna laicorum videtur esse deportatio, & omnium bonorum publicatio in libero homine, vt per glos. ibi allegando text. in l. j. §. fina. ad l. Corneliam de falsis. licet in l. Vbi falsi. C. eo. dicat quòd crimen falsi debet puniri capitali supplicio, si id exigat magnitudo commissi; & licet iure communi in hoc casu non videatur apposita pœna mortis expressè: in his tamen regnis dispositum est

quod

quòd falſans epiſtolam, priuilegium, vel bullam papæ, vel qui facit, vt alius id efficiat, debet mori, vt in l. vj. tit. vij. parti. vij. Vnde non eſt dubium tũc quòd hodie iudex ſecularis damnabit tunc talem clericum ad pœnam mortis. Et vide Concilium Conſtãtiẽſe in xviij. ſeſsione, in c. iij. vbi ſtatutum eſt quòd omnes qui dolum & fraudem ſeu falſitatem aliquam circa literas bullandas dictæ ſynodi committerent, & illi etiam qui in hoc conſentirent, aut talia fieri procurarent, vel literis falſis ſcienter vterentur, incurrerent cenſuras illas eccleſiaſticas & pœnas quas falſificatores literarum Apoſtolicarum, & qui illis literis ſcienter vtuntur, necnon participes incurrũt iuxta canonicas ſanctiones: & licet prouiſio illius concilij circa literas eius ſolummodo, & non in futurũ videatur diſponere, argumento tamẽ illius videtur idem eſſe iudicandum, ſi pro tẽpore caſus ſimilis occurreret, cùm videatur eſſe eadem ratio: literarũ verò Cancellariæ vel pœnitentiarij papæ falſarij qualiter puniantur, vide Hoſti. Ioan. And. Butri. & alios in c. ex literis. de fi. inſtrumen. Vitiãs autem ſiue falſans literas Iudicis delegati apoſtolici non debet ita acriter puniri, not. Panor. in c. Olim. in ij. nota. ex text. ibi, de reſcript. Et vide Feli. in c. ij. de reſcrip. col. ix. vbi ſe remittit ad plenè dicta per Maria in d. cap. Ad falſariorum. Falſantes autem literas inferiorum Iudicum, ſi criminaliter accuſantur, depoſitionis ab ordine & priuationis omnium beneficiorum, detruſionĩſque in monaſterium pœnas ſuſtinere debent, notat idem Panor. vbi ſuprà allegans text. in c. Si epiſcopus. l. diſtin. qui tex. ſtatuit cõtra presbyterum, aut diaconũ qui chartam falſauerit, quòd de-

poſi

positus ab officij honore in monasteriũ detrudatur, & eũdẽ tex.(etsi corruptè alleget) sic intelligit Host. in summa de crimi.fal.§.fina.in falsario literarũ episcopi. Falsarius autem per modũ inquisitionis cõuictus,tã in literis episcopi,quàm Capituli ab officio & beneficio suspẽdẽdus est,siue suspẽsus nunciãdus secundũ Host. vbi suprà,donec indulgentiam Apostolicæ sedis mereatur obtinere,pro quo allegat tex. in cap. Tam literis.de test. Literarum autem regiarũ falsarij degradantur,& illis aliquis character imponitur,& in exiliũ mittuntur extra prouinciam, vt in cap. Ad audientiã.de crim.fal. Idem transcriptũ fuit in l.antepe.tit.vj.parti.j.quæ declarat quòd exilium debet esse extra regnum vel dominium regis, in cuius literis deliquit,quod extendit procedere in falsario cuiuslibet principis secularis. Host. in summa de cri.falsi.§.fin. verſ. Si quis autem, motus ea solùm ratione,quia de similibus idem est iudicium, per iura vulgaria quæ ipse refert. Qui verò Apostolicis literis falsis vtitur,officiis & beneficiis priuatur, vt in d.c. Ad falsariorũ. Vnum tamẽ nota, quòd si tales velint se purgare allegantes ignorantiam, audiendi sunt,si se purgant,& deceptorem exhibeant.ita tenet Archi.in cap. In memoriam. xix. distinct. quod ibi sequitur Card.de Turrecremata,in §. Ad quartum. qui respondet ad dictum cap. Ad falsariorum, dum dicit non excusare ignorantiam: quòd intelligitur de ignorantia supina,vel quando non vult exhibere deceptorem. Et vide Hostiens. in summa, in titu. de crimine fal.§.Porrò. versicu. Sed hodie,vbi dicit quòd hodie præceptũ est quòd in literis domini Papæ, nec in magno, nec in modico audeat quis

man

manum apponere,etiam literam vnicam,vel punctū vnicum corrigendo, exceptis officialibus quibus hoc est commissum: alioquin manum apponens ex canone lato in curia ipso facto sententiam excommunicationis incurrit,quæ nō potest per aliquē extra sedē Apostolicam relaxari. Cuius verba ad literam refert & sequitur Floren. in iij. parte. tit. xxiiij. cap. xvj. & sequitur etiā Feli. in c. ij. §. Stylus. de rescript. qui etiam dicit quòd tales falsarij excommunicantur in processu annali per papā in die Iouis sancto, & allegat consti. Martini v. quam ad literam Florenti. scribit in d. iij. parte, titu. xxiiij. c. lxxij. vbi aperte patet quòd excommunicantur omnes falsantes literas Apostolicas, bullas & supplicationes summi pontificis, seu Vicecancellarij, seu gerentis officiū, vel vices Cancellarij. Et nota quòd Flor. in d. c. xvj. referēdo Richar. dicit quòd qui ludo & nō intētione vtendi literis Papæ, quarū efficacia iam expirauit, aliquā literā in eis formatā reformaret, vel pūctū faceret, vel aliquid in ea immutaret, nō esset excō municatus ipso iure. Cōtra quod tamē arguit ipse, vt videre poteris: licet Fel. simpliciter secutus fuerit vbi suprà hāc declarationē Richar. & Florēt. quem ibi corruptè allegat in vtroque loco per eū citato.

Conspiratores.

CAPVT CIX.

CLERICI conspirantes aut conspiratores, aut iniurias ponentes episcopis aut clericis è gradu suo proprio penitus abiiciantur, vt in c. Si qui clerici. & in c. Si clerici. xj. quæstio. j. Et in cap. Coniurationum.

ea. cau.

ea.cauſ. & quæſtio. { & habetur ille text. in concilio Calcedonenſe in canone xviij. } qui contra fidē homagij negat epiſcopum ſuum dominum eſſe, vel in foro ſeculari diſponit contra eum de rebus ſpiritualibus quæſtionem, aut qui inuaſori ſuo & ſociis cauſam & conſilium præſtat, ab officio & beneficio deponitur, vt in c. Grauē. de exceſ. præla. & vide text. in c. Si quis ſacerdotū. xj. quæſt. j. qui clericum ſuo epiſcopo inobedientē, aut ei inſidias parantem, aut contumeliam, calumniā, ſeu conuicia inferentem, deponi iubet, & curiæ tradi. Sed aduerte quòd ille tex. de incorrigibili intelligitur, vt concludit Abb. in c. At ſi clerici. de iudi. col. xiij. ſequendo glo. in c. Cum nō ab homine. de iud. & in c. Si quis. & in c. Si quę ſunt. ij. quæſt. vij. & in c. Nouimus. de verbo. ſigni. & dicit quòd iſta opinio tanquam mitior communiter approbatur per Docto. in cap. fina. de teſti. cogen. & in cap. Cum non ab homine. de iudi. quem refert & ſequitur Decius ibi, col. xxj. ver. Tertius caſus. qui reſpondet ad verbum mox, poſitum in d. c. Si quis. quod quandoque intelligitur cum interuallo, vt l. Sed & ſi conditione. §. Seruus. ff. de hæred. inſti. & in c. ij. vbi glo. xx. quæſt. ij. & tradit Alexan. in l. j. §. qui præſens. ff. de verb. obliga. & eam dicit communem ſententiam Areti. in d. c. Cum non ab homine. de iudi. col. ij. verſicu. Tertius caſus. & vide Præpo. in c. Clericus, iij. quæſt. iiij. qui poſt Archi. notat glo. ibi, ad hoc quòd clericus conſpirationem faciens cōtra proprium epiſcopum non traditur curiæ ſeculari, niſi ſit incorrigibilis. & vide eundem in cap. Hi qui. ea. cau. & quæſt. vbi notat ibi text. pro illa gloſ. dum text. diſponit quòd clericus perſecutor epiſcopi fit

infamis, & traditur exilio, non tamen præcipit illum curiæ tradi. Et vide l.lx.titu.vj. parti.j. vbi ponit istum casum inter eos quibus clericus traditur curiæ seculari:& videtur lex illa ex pluribus casibus disiunctiuè positis in dicto cap.Si quis sacerdotum, solùm ad duos casus pœnam illam reducere. Primò quando el clerigo deshonestase à su obispo, y no le quisiese obedecer. Secundò si le acechase en qualquier manere para le matar.& illa l.nihil dicit de incorrigibilitate,quasi velit in illis duobus casibus seruare dispositionem illius cap. Si quis sacerdotum, quæ quidem interpretatio legalis videtur in Hispania seruanda,quum sicut doctorum expositionibus ac consuetudine temperatur rigor antiquorum canonum, multò melius videtur hoc faciendum ex lege principis magna deliberatione promulgata: & tunc posset meritò dubitari qua pœna esset clericus puniendus, qui propter tale facinus traderetur curiæ seculari.

Læsæ maiestatis rei.

CAPVT CX.

EPiscopus,presbyter,aut diaconus qui & domini sui regnum peruersè & dolosè tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur, debet degradari.ita dicit text.in cap.Si quis laicus. xxij.quæst.v. quem tex.dicit notab.Abb.in c.At si clerici. in prin. in fina. verbis.de iudic. ad hoc quòd presbyter, vel alius clericus,vel episcopus degradatur, pro conspiratione facta contra principem,seu dominum terræ, & allegat Docto.in cap.Petitio,de iureiuran. & dicit

cit posse hoc intelligi de actuali degradatione propter immanitatem criminis, argum. l. Quisquis. C. ad l. Iuliam maiest. Barba. autem in dicto capit. At si clerici, in princip. in fina. verbis, scribit quòd vidit istum casum de facto, & consuluit cõtra doctrinam Abb. & quòd dict. cap. Si quis. est palea, & intelligitur de degradatione verbali, & quòd non habet locum in clerico: quia non potest dici reus maiestatis laici, quia non est subditus laici, & refert Cardin. in c. Vergentis. de hæreticis. & vt aliquis dicatur reus læsæ maiestatis, oportet vt sit subditus, per ea quæ ipse allegat. Et reperies illud consilium suum in iij. volum. in consi. xxj. A' Ioue principium. Et vide Arnal. Alber. in c. Quoniam. de hæreti. in vj. in quæst. xj. vers. Septimò fallit, vbi postquàm per quinq; ferè col. tractat de isto articulo, dicit concludendum clericum non teneri crimine læsæ maiestatis temporalis. Dicit tamen (saluo meliori iudicio) & sacrosanctæ sedis Apostolicæ autoritate, quòd clericus siue episcopus tale crimen grauissimum committẽs, erit degradandus, & beneficiis spoliandus, & consequenter curiæ seculari tradendus, & remittit se ad ea quæ latius dicet in eodem c. in xv. quæst. vbi in ij. col. d. quæst. vers, hinc sumpta, mouet quæstionem, An clericus vel episcopus rebellans contra Regem committat crimen læsæ maiestatis, & concludit etiam quòd non, & respondet ad c. Si quis laicus. (præsuppositoquòd ille tex. esset decretum autenticum, quod non est) quòd ille tex. procedit quando episcopus vel clericus præstitit iuramentum fidelitatis, vel homagium domino temporali, & tandem in col. vj. versic. Quid ergo, dicit quòd licet clericus vel episcopus nõ

committat crimen læſæ maieſtatis, per hoc non remanebit impunitus, imò ſi eſt rebellis Regi ſeu domino, degradatus & ſpoliatus beneficiis, vel epiſcopatu traditur curiæ ſeculari propter immanitatem criminis, allegat d.c. Si quis laicus. & Roma. hoc conſulentem per illum conſi. cccIxvj. Quæritur, qua pœna. & in ſingula, Dccj. Dicam tibi dubia. Sed aduerte quòd Roma. in dictis locis nihil dicit de traditione curiæ ſeculari, ſed vtitur verbo illius tex. ſcilicet degradetur. Vnde miror quòd allegauerit pro ſua opinione Roma. niſi ſenſerit hoc voluiſſe Roma. dum dicit, degradetur: ſed hoc non eſt verum: nam non vbicunq; in iure dicitur degradetur, intelligitur, & tradatur curiæ ſeculari. Poſteà verò valde dubitat quòd verbum degradetur in d.c. poſitum, capiatur propriè pro actuali degradatione, ſed pro verbali, & relinquit cogitandum. Et vide Matth. de Afflictis ſuper j. lib. conſtitutionum vtriuſque Siciliæ. folio cxiiij. in rub. vbi clericus in maleficiis debeat conueniri, vbi diſputat queſtio. Vtrum clericus beneficiatus committens crimen rebellionis contra regẽ poſſit priuari ſuis beneficiis per epiſcopum ſuum, & tandem concludit quòd ex circunſtantiis concurrentibus in rebellione tali poterit epiſcopus arbitrari, & ſententiádo declarare clericum in hoc delinquentẽ priuandum eſſe ſuis beneficiis eccleſiaſticis, dum tamen procedatur ſeruato ordine iuris. Tu autem vltra prędictos doctores, aduerte quòd in ſynodo Toletana xvj. à ſexaginta & vno epiſcopis celebrata, Anno domini Dcxciij. ſub Rege Flauio Egica Siſbertus Toletanæ ſedis Epiſcopus loco & honore priuatus fuit, eo quòd prædictũ Regem non tantùm priua

priuare regno, ſed & cũ aliis cõplicibus interimere diffiniuit, atq; gẽti eius vel patrię inferre conturbiũ & excidiũ cogitauit, vt patet in dicta ſynodo, in c. de Sisberto epiſcopo, in quo pœna dicto Epiſcopo propter prædictas cauſas impoſita per hæc verba deſcribitur: ipſe verò Sisbertus pro ſui iuramẽti tranſgreſsione, facinoríſq; tanti machinatione ſecũdum antiquorũ canonum inſtitutionẽ qua præcipitur, vt quiſquis inuentus fuerit talia feciſſe, & viuente principe in alium attendiſſe pro futura regni ſpe à conuentu catholicorũ excommunicationis ſententia repellatur, honore ſimul & loco depulſus, omnibúſq; rebus exutus quibúſq; in poteſtatẽ prædicti principis redactis, perpetui exilij ergaſtulo maneat relegatus, ita nẽpe vt ſecundum eorundem antiquorum canonum decreta in finẽ vitæ ſuæ tantùm communionem accipiat, excepto ſi regia eum pietas antè abſoluendũ crediderit. Simili quoq; & cæteris qui de religioſis cuiuslibet ſit ordinis aut honoris deinceps cõtra principem talia egiſſe vel diffiniſſe reperti extiterint cenſura mulctandi ſunt. Ex cuius nempe ſynodi diſpoſitione apertè colligitur qua pœna ſit clericus puniendus qui cõtra Regem machinatus fuerit: cùm illius ſynodi patres pœnam illi epiſcopo per eos inflictam ad alios clericos ſimilia perpetrantes in futurum extendi ſanxerũt, in qua viſi ſunt non nouam pœnam ſtatuiſſe, ſed antiquos canones fuiſſe imitatos, qui tamen canones nullibi referuntur. Et mirandum eſt quòd nullus Doctorũ quos ipſe in hac materia hucuſq; legerim de prædicta ſynodo faciat mentionem: niſi eos excuſare velimus ea ratione, quòd illa xvj. ſynodus Toletana nõ omnibus familiaris eſt,

vt patet ex eo quòd in omnibus impreſsionibus Cõciliorum hucuſque factis ſolùm tredecim concilia Toletana impreſſa leguntur : quàmuis Gratianus aliqua ex dicta ſynodo in ſuo opere Decretorum intexere viſus eſt.

Séque de ſuis criminibus gloriantes.

CAPVT CXI.

QVoniam { ſecundum Iſidorum in lib. ij. de ſummo bono cap.xxxix. Ad comparationem mali fit deterius, quando non ſolùm flagitia committuntur, ſed etiam de ipſis flagitiis vanitate laudis perditi extolluntur. Quid enim peius eſt, quàm in flagitiis miſeros gaudere, de quibus iam debent copioſius deplorare? ideo meritò clericus qui de ſuo } crimine gloriatur ſuſpẽdi debet ab officio & beneficio. ita diſponit text. in c. Quàm ſit. de exceſ. præla. Et licet Abb. ibi diſcedat à ſummario illius tex. in quo Ioan. And. poſt glo. ibi videtur ponderare ſcandalum quod fuit ortum propter gloriationem illius clerici, & dicat ſequẽdo Inno. quòd ibi ille clericus fuit punitus tanquã maledicus detractor & leuis, & quòd quodlibet illorum ſufficeret ad imponendam illam pœnam. Ego tamen ſemper crederẽ conſiderandam eſſe qualitatem à iudicibus illius delicti de quo gloriatur, locum, vbi, & perſonas corã quibus gloriatus eſt. Et an ex illa gloriatione reſultet præiudicium alterius honori vel famæ, vt ſic ſecundũ hoc mitius vel acrius puniatur. Quis enim dubitat lõgè aliter puniendũ eſſe clericũ qui furtũ feciſſe gloriatur, quàm qui adulteriũ vel inceſtũ, & qui adulteriũ ſimpliciter feciſſe ſe iactat,

quàm

quàm qui illud cũ persona certa quam nominat cõmisisse dicit, qui publicè, quàm qui occultè, qui iocosè & inter amicos, quàm qui in rebus seriis & inter extraneos? Præterea in similibus delictis clericorum mea sententia iudices aduertere debẽt, vt nõ solùm tales clerici pœnas iactantiæ sustineãt, sed etiam illorum famæ quibus detractum est consulatur. Et ex hac sumpta occasione posset quæri, An clerico glorianti se adulterium commisisse cum certa muliere, vel quid aliud perpetrasse, ex quo iniuria alteri personæ irrogaretur, posset ad petitionẽ seu querelam illius imponi pœna (cùm aliter verum esse nõ constet) vt coram eisdem personis vel aliis dicat illud à se dictum falsum esse, & nunquàm accidisse. Quæ quæstio decisa videtur per ea quæ suprà notauimus in verbo maledici.

Habita informatione summaria.

CAPVT CXII.

CLericorum capturam iustum est vt præcedat informatio summaria delictorum, cùm in aliis delinquẽtibus id ipsum etiã requiratur. Ad capturam enim personæ maximè in criminali non potest procedi sine causæ cognitione, vt notat Ioan. Andr. in capitu. Si clericus. de senten. excommun. in vj. Et sequitur Anto. & moderni in cap. primo, de iudi. & notat Areti. ibi, in col. vij. versic. Ista conclusio. Nec informatione leui capiendi sunt seu incarcerandi clerici, cùm sola relaxatione à carcere nequeãt per iudices restitui ad suæ famæ integritatem. Quia vt plurimum homines in

captura facta, magis capti culpam, quàm iudicis ſe-
uiratem adeſſe conſiderant. In liberatione verò non
innocentiam rei, ſed iudicis in inquirendo deſidiã,
aut in admiſsione precum ſeu munerum facilitatem
interueniſſe ſæpius audent proclamare. Quo fit, vt
apud plures idem ferè operari ſolet, quòd quis pro
crimine aliquo incarceretur ſeu damnetur, præcipuè
cùm præter id quòd ex iniuſta captura non leuis cle-
rico irrogetur iniuria (quæ tantò eſt grauior iudi-
canda, quantò captus maiori erat inſignitus hono-
re, criménq; ſibi impoſitũ grauius) ipſe clericalis ſta-
tus non parum offenditur: qui quidem ordo ſanctiſ-
ſimus ſicut ab omni crimine vero expiandus eſt, ſic
nullius falſi impoſitione maculandus. Non præter-
ea ſic facilè ſolẽt effugere clerici, ac eludere iudices,
vt contra eos leuiter ad capturam procedere ſit ne-
ceſſe. Cùm ob admiſſa facinora, membrorum nun-
quàm, vitæ verò rariſsimè periculũ timeant. Iudex
verò qui temere capi fecit innocentem clericũ præ-
ter id quod puniri debet, vt voluit Bal. in l. j. C. de his
qui latro. diuinam non effugiet vltionem, niſi capto
ſic iniuſtè ſatisfecerit, quia innocenti ſubdito (quẽ
paterno amore tractare debuerat) poteſtate Dei quã
in ſubditorum ſuſcepit commodum, honoris ac re-
rum iacturã intulit leuitate quadã, aut ferali motus
animo. In hac igitur informatione ſummaria reci-
pienda delictorum non parum inuigilet prudens ac
correctionis amator iudex. Ea enim eſt ferè ſemper
torius cauſæ fundamẽtum, neq; fiducia quadã igna-
ua, teſtium examinationem cuiuis tabellioni cõmit
tat, nam magna exinde ſuccedunt incommoda. Sæ-
pius enim teſtes tabellionis ſolius vultum parũ reue-

riti

riti, inquisiti siue accusati odio pro veris dubia firmare audēt, aut eundem excusare volentes quæ dicunt fucare contendūt, ac sæpius reticent veritatē. Accidit insuper aliquando quòd cùm ignorantia tabellionis, aut versutia malè interrogantur, plura quę rem ipsam principalius concernebant, occultantur. Expedit præterea plurimum diligentem per ipsum iudicē fieri examinationē: quia cùm post summariā informationem testium captura rei sequatur, statim præcipua cura est capti ac suorum fautorum inquirere qui fuerint summariæ informationis testes, ipsósq; inuētos terrere minis, aut blandiciis allicere, vt quæ dixerint declarent seu restringāt in ipsius capti fauorem: quod ipsi testes facilius concedunt & faciunt si leniter vident quòd examinati fuerint à iudice vel tabellione. Et quia cōtingit aliquoties vt iterum examinati testes in plenario iudicio affirmare audeant, quæ scripta sunt non dixisse (quod & si nō plenā pariat capti deliberationē, non est dubiū quin iudicis conturbet animum, ac tabellionis quodammodo lædat opinionem.) Solent prudentes iudices in criminibus grauibus, & quæ non leuis momenti personas concernūt, adhibere secum aliquem honestum ac prouidū virum, quo etiā præsente testes examinentur. Ob vnum præterea inter alia hortor iudices omnes, vt nō leuiter testes examinēt in summario isto iudicio, sed omnia plenè scisciteantur ab eis, & scribi faciāt per notariū: quia cùm in summaria hac examinatione testes maiori gaudeant libertate, facilius ac liberius ea quæ norint explanant, quàm postquàm licuit fautoribus rei illos alloqui, terrere seu corrumpere. Quòd autem non sit citanda pars, dum

huius informationis teſtes examinandi ſunt, nemo iudicum ignorat: & ſi ad id deſideratur autoritas doctoris, notat Bald. in l. Mouentes. de delato. libro x. in fine.

Eos citari perſonaliter.

CAPVT CXIII.

CVm enim non paſsim, nec pro quocunque leui crimine deceat clericum in carcerem trudi, tum propter ſui ordinis dignitatem, tum etiam, quia in eis non ſic facilè fuga timeri ſolet, ideo honeſtius eſt (dũ aliud non ſuadet criminum grauitas) perſonaliter citari eos, cùm hoc in criminalibus iura permittant, vt in c. j. de iudi. in vj. qua quidem citatione perſonali prudentes vti ſolẽt, & poſſunt iudices eccleſiaſtici quoties expenſas ac itineris laborem ac moram in tribunalis loco faciendam in pœnam delicti clericis intendunt inferre. Sunt enim aliqua flagitia quæ ſatis tali pœna purgantur: & quia Ioan. And. & Philip. placet in d. c. j. citationem perſonalem non valere, non expreſſa cauſa, ſiue ordinarius ſit iudex, ſiue delegatus. Cauti debent eſſe iudices vt cauſam in citatione deſcribant, ne citatis præbeant iuſtam cauſam appellandi, quam crederem ſufficere generaliter exprimere, videlicet compareas ſuper quadam criminali cauſa de qua inculparis reſponſurus, abſq; eo quòd delictum in citatione narretur. Aduerte tamen quòd Innocen. in dicto capitu. j. quem ſequitur Phil. ibi, voluit quòd in illis tantùm caſibus in quibus non admittitur procurator, poſsit quis compelli ad cõparendum perſonaliter, & non indiſtinctè in omni

culpa

culpa criminali,ex quo videtur nimis restringere facultatem citandi personaliter clericos, quia secundum istam doctrinam rarò aut nunquam expediet aut licebit talem citationem facere: quia si tale crimen est in quo iura non admittunt procuratorem, cùm illud pro graui reputetur, tunc magis expediet capere quàm citare clericum. Cùm verò procurator admittitur, tunc non licet facere citationem personalem, & sic erit superuacaneum consilium personaliter citandi. Sed licet prædictorum doctorum sententia sit vera, videlicet quòd in causa qua quis potest per procuratorem litigare non cogatur ad comparendum personaliter. Crederem tamē quòd liceat iudici ecclesiastico saltem ex officio procedenti in quacunque causa criminali cùm prætendit clerici correctionem, cogere eum ad personaliter comparendum, vt illi aut verbalem correctionem faciat, aut aliam salubrem pœnitentiam imponat, iuxta qualitatem excessus, neque ex hoc grauamen aliquod sibi inferri prætendere possit: licet causa esset talis in qua ipse per procuratorem posset litigare. Non enim hisce iuris subtilitatibus arbitror esse subtrahendam superioribus clericorum potestatem euocandi eos ad personalem correctionem eis inferendam, quoties hoc arbitrati fuerint expedire.

Capi.

CAPVT CXIIII.

Clericos propter delicta posse capi, & in vinculis detineri, etiam si de crimine agatur ciuiliter, probatur apertè in capitu. Dilectis. de appellationib. & ibi notant

Abb.

Abb.& Philip. Francus,& Decius in j.notab. Quoties verò clericorum flagitia talia ſunt vt carcere digna iudicentur, curare debent omni ſolicitudine iudices, vt talibus miniſtris capturã eorum committant, qui ſecretè ac diligenter circa illam intendant, eámve pecuniis non redimant, aut diſsimulẽt: longè enim magis officit delictorũ correctioni, clericorũ errare capturã, quàm laicorum: nam præter id quòd ſine ea, crimina (vt expedit) puniri non poſſunt, temporibus iſtis infelicibus ſi ordinariorum manus effugere valet clericus flagitioſus, & ad ſedẽ ipſam Romanam accedere, facilè obtinet cõtra omnes iudices inhibitionẽ, qua non modò aliquoties criminis impunitatẽ conſequitur, ſed ſummã ſuſcipit audaciam coram iudice (qui dudum illum capi præceperat) deambulandi non minori frontis tranquillitate, quàm cæteri bonis moribus imbuti, ſolent incedere. Habeant inſuper prælati omnes ac eorũ vicarij ad captu ras prædictas faciendas, fidelem ac prudentem miniſtrum cum competenti familia, cui ſemper neceſſaria tribuãtur, ne egeſtate coactus pecuniis facilè corrũpatur. Qui ſanè & ſi laicus ſit, clericos poterit capere ſuorũ prelatorum iuſſu ſine metu excommunicationis, vt in c. Vt famæ. de ſenten. excom. An autem per laicũ poſsit capi clericus ſine ſui ſuperioris mandato? dicendũ eſt quòd vt obuietur delicto committendo per eum, nõ eſt dubiũ, vt Abb. tenet in c. Cum nõ ab homine. de iudi. & ſequitur Decius ibi, col. iij. verſi. Secundus caſus. Et Areti. ibi, col. iij. referendo eundem Abb. in c. Si verò. de ſent. excom. poſt Inno. ibi. Poſt delictum autem commiſſum, vult idẽ Abb. quòd ſi eſt timor fugę, poſsit clericus per laicũ capi.

Andr

Andreas Sicu.& Aret.ibi,col.iij.tenent cõtra Abb. quos refert ibi Decius col.iij. & iiij. quorũ opinionem verioré asserit in puncto iuris,licet ipse respondeat ad fundamenta adducta per ipsos contra Abb. Vide bonam decisionẽ parlamenti Delphinalis, nu. lxxiij.incip.Iudex secularis, vbi deciditur quòd iudex secularis potest capere, vel capi facere clericũ in flagranti crimine, & incarcerare absque metu excõmunicationis, si ibi non est iudex ecclesiasticus qui eum capiat,vel capi faciat, dummodo remittat eum statim.Si tamen clericus est coniugatus,quàmuis cũ vnica & virgine, & non est in habitu & tonsura clericali,potest capi per iudicem secularem,etiã in præsentia ecclesiastici,nec tenetur remittere, nisi cognito,an debeat gaudere priuilegio vel non,vt ibi. Nota etiam in proposito quòd episcopus potest concedere licentiam generalem potestati seculari capiendi clericum inuentum in ipso crimine,non vt capiat diffamatum de crimine, & non deprehensum in eo, secundum Areti. vbi suprà,in col.iij. versicu. Nunc quæritur,post Ancha.in regu. Ea quæ. in xxj.quæst. de reg.iur.in vj.licet aliud senserit Anto.

Ab ecclesiis ad quas confugerunt extrahi.

CAPVT CXV.

QVòd hoc non liceat ecclesiasticis iudicibus inter alia primùm persuadere videtur Ilerdensis Concilij capitulum octauum in hæc verba disponens: Nullus clericorum seruum aut discipulũ suum ad ecclesiã confugien

confugientẽ extrahere audeat, vel flagellare præsumat:quod si fecerit,donec dignè pœniteat à loco cui honorem non dedit segregetur. Patet igitur quòd si dominus vel magister tenetur ecclesiam reuereri, & pro dominica aut magistrali disciplina non licet illis aliquẽ de ecclesia extrahere, multominus licebit iudici ecclesiastico ad incarcerandum clericos, & imponendam eis pœnã id efficere. Et hoc credit verius Cardi.in c. Inter alia.de immunita.eccle. vbi respondet ad aliqua fundamenta quæ primò in cõtrarium adduxit. Hoc etiam tenet Ro.in consi.ccxxvij. Spectabilis domine. Idem in consi.ccxxxiiij. Aduertendum quia dico. vbi hoc probat ratione triplici: Prima,quia canones non distinguũt laicum à clerico. Secunda,quia est maior ratio in clerico quàm in laico ne extrahatur:quia ecclesia est propria domus clerici,iuxta l,Plerique.de in ius voc.ff. Tertia,quia hoc priuilegium est concessum loco ipsius ecclesiæ, & sic habet locũ in quolibet ibi reperto:quod limitat in dicto consil.ccxxvij. nisi clericus commisisset delictum ex enumeratis in d.cap. Inter alia. Abb.tamen pluribus rationibus & fundamentis allectus in dicto cap. Inter alia.in col.iiij.putat verisimum clericos non gaudere immunitate ecclesiæ.Si iudex ecclesiasticus causa disciplinæ,& non odij velit eos arcere in ecclesia & punire, & extrahere vt duci faciat ad carcerem. Vide Cardi.in cle.j. de pœnit. & remis. in quæst.vij.vbi refert Lauren. dicentem quòd opinio Innocen. volentis clericum posse extrahi ab ecclesia propter homicidium,& deponi, & in monasterium detrudi, posset procedere vbi monasterium non esset nimis arctum,nec esset carcer perpetuus:ex

cuius

cuius opinione videtur dari quædã media via, quòd clericus possit extrahi ad pœnas citra detrusionem in arctum monasterium & carcerem perpetuum sustinendas. Vide tamen Ioan.de Vischis, in tracta.de immunita.eccle.in ij.col.cum duabus sequen.vbi refert opin. Abb.de qua suprà,& tandem ibi, & in fol. fin.col.j.tenet contra illum,& concludit in prima & secunda & tertia cõclusionibus,quas ibi facit, quòd iudex ecclesiasticus non potest extrahere clericum subditum , nec illi pœnam corporalem imponere quo ad forum contentiosum,nec potest etiam causa disciplinæ arcere illum, nec pœna corporis afflictiua contentiosè punire : licet aliud sit in foro pœnitentiali quando delictum est publicum , dum tamen non extrahat de ecclesia:& ista videtur verior & cõmunior opin. Abb.tandem vbi suprà relinquit consuetudini, quæ in hoc multùm debet attendi secundum eum. Quæ quidem iam videtur recepisse,vt clerici à suis iudicibus extrahantur ab ecclesiis. Quod nempe & si nullibi hucusque legerim , hoc limitandum censerem,nisi in casibus vbi clericus post degradationem tradendus esset curiæ seculari : tunc enim aut non extrahendum eum crederem,aut si extrahatur , post degradationem & verbalem in sententia traditionem curiæ seculari , ad ecclesiam reducendum esse iudicarem æquissimum, vbi tandiu solùm immunitate gaudebit,quãdiu in ecclesia fuerit moratus,sicut & aliis contingit facinorosis laicis.

Incarcerari.

CAPVT CXVI.

Cleric

Clericorum carceratio sicut non passim, nec leuiter facienda est, quia eius præiudicium est irretractabile, vt notat Bald. in l.j. C. in te. resti. postu. & refert Feli. in c. Cum super. col. pen. de re iudi. sic nec, dum casus exigit, omittenda, eos namque plus solet punire, quàm custodire carcer: in pluribúsque delictis illa est præcipua ac vtilior pœna, quæ nulla valet appellatione reparari: quamuis superiores velint delinquentibus fauere, quæ insuper iudices illam imponentes non auaritiæ nota comma culat, sicuti pœnæ pecuniariæ efficere solent. Curare tamen debent ecclesiastici iudices, vt sacerdotum ac in sacris constitutorum carcer non immundus seu squalidus sit, néve eos cum secularibus personis simul detineri cõsentiant. Cùm insuper carcer sit tormentum, vt placuit Bal. in l.j. de custo. reorum. & in l. prima, de his qui ad liber. perue. non pos. Et etiam compedes fortes, vt dixit Bart. in d. l. j. de custo. reorum. Aduertere debet iudex ecclesiasticus ne clericos captos (in sacris maximè) afflictiuo corporis carcere detineat, quando non talis præcedit informatio, talísve est qualitas excessus & personæ, vt ad torturam deueniri possit, ac debeat. Triplex præterea genus carceris considerari potest. Aut enim ideo iudex incarcerat, quia solùm custodire prætendit captum, dum de delicto tractatur, & tunc sufficit quòd constet saltem præsumptiuè de eo: & in tali casu præcipuè fidelitas custodum, & securitas loci procurari debẽt, sine eo quòd capto solatia moderata tollantur, ac communicatio amicorum & aliorum interdicatur: nisi delicti grauitas & qualitas aliud suadeat. Si verò aliquis primæ tõsuræ clericus

secul

seculares iudices timens(vt quotidie contingit) car ceri ecclesiastico se offert, procuraturus inde secularium iudicũ inhibitionem, ac suorum scelerũ impunitatem, aut leuitatem pœnæ:tunc caueant ecclesiastici iudices,ne leuem carcerem & ad libitum petentis assignent,sed intra palatium episcopi,& in solitum carcerẽ illum detrudant. Aliter enim quando ecclesias pro carceribus illis assignant, plura inde proueniunt incommoda: nã quamdiu ibidem commorantur, eas ludis, blasphemiis, & obscœnis actibus polluunt,noctúq; inde exeũtes grauiora sæpius scelera illis à quibus liberari satagunt, perpetrant. Multotiésq; in ecclesiarũ ianuis positi, vel per cœmeteria deambulantes seculares iudices irrident, ac perfricata fronte contemnunt,ex quo sæpius irritati illi eos ab ecclesiis extrahunt, & in contemptum ordinis & censurarũ, vinculis grauibus subiiciunt, ac quandoq; pro cõmissis illos laicorum pœna plectuntur. Vt autẽ hæc omnia & alia quæ referri possint incõmoda cessent, debent ecclesiastici iudices (victis omnibus importunitatibus ac respectibus) tales sic oblatos clericos solito carcere mãcipare, ac iuxta delicti qualitatẽ,de quo inculpantur,illis custodiam & vincula adhibere, quàmuis nullus illos accuset,nulláq; ab eis sit de delicto informatio recepta.Hoc nanq; & talium clericorũ temperabit facinora (quorum pars magna ob nihil aliud quàm ad impunitatem scelerũ tonsuram recipit)& in secularibus iudicibus ecclesię obedientiã nutriet. Vt autẽ carcerem & custodiã criminis qualitati cõmensurare valeant, iudicibus omnibus consulerem, vt statim à iudicibus secularibus informationẽ criminis

quã cõtra ipſos habẽt amicabiliter exigant, quã illi libẽter præſtare ſolẽt, quãdo zelũ iudicis eccleſiaſtici intelligũt. Aut ſi illã denegauerint, ipſi ex officio eã pro viribus requirãt: aliter enim ſi in taliũ detruſione deſides extiterint, prẽter ſuperiora incõmoda, euenit ſæpius vt poſtquàm eos à Iudicũ ſecularium manibus inhibitione liberarũt, ſi ipſos iam ſui fori pronunciatos punire voluerint, à leui carcere aufugiſſe, & tanquã ſecuros ab vtriuſq; fori iudicibus (quia à primis cenſura, à reliquis verò fuga liberauit) grauioribus ſe enormitatibus immiſcuiſſe cõperiẽt. Aut carcer nõ ſolùm ad cuſtodiã ordinatur, ſed ad afflictionẽ corporis: vt quia iudex intẽdit ſola carceris pœna punire delictũ, & tũc dari poteſt aſperior, iuxta exceſſus mẽſurã, perſonæq; qualitatẽ. Vtilis nãq; vt prẽmiſimus in clericis (quos à mẽbrorum mutilatione ſacri canones effecerũt immunes) carceris pœna cenſetur, & qua afflictione præterita purgãtur vitia, præſentia impediuntur fieri, futura ſæpius poſt liberationem ſui memoria vitari ſolent. Aut inſuper carcer in pœnã criminis per ſentẽtiam imponitur, & tũc non modò ſecurus, ſed & qui pœnã condignã ingerat applicãdus eſt: dũ tamẽ in hoc debitus ſeruetur modus, iuxta ea quæ infrà deſcribẽtur in parte, ac in perpetuũ carcerẽ. Vnũ inſuper aduertãt iudices, & vbi ex cõſtitutione aut cõſuetudine pœna carceris eſt ſtatuta delicto, tũc nõ eſt aliquis in carcere detinẽdus ſine plena probatione delicti: aliâs enim cõtingere poſſet quòd ſola informatione ſummaria, iam ordinaria pœna plecteretur, & ſi iudex tunc poſsit ad ſolam capturam procedere, vt ſatiſdatione fugam perſonæ prouideat.

Tortu

Tortura.

CAPVT CXVII.

PRAEMISSIS prius quæ debeãt torturam præcedere, & quæ ſint eius ſpecies: & præmiſsis aliis quæ in eius materia à doctoribus variis locis ſcribũtur, quia illa examinare ad præſens nec vacat, nec expedit, tranſcribere verò præter id quod pudet & piget, inutile iudico: ſolùm enim in hoc opuſculo quæ in clericis ſpecialia ſunt, & earũ perſonas concernunt referre decreui. In primis notãdũ eſt quòd clerici etiã presbyteri ſi ſunt ſuſpecti poſſunt ex cauſa torqueri. ita firmat Panor. eſſe communẽ opinionem doctorũ, in regula Cum in contẽplatione. de regu. iur. ex cuius verbis videtur colligi quòd ad hoc quòd clerici torqueri poſsint, duo debẽt concurrere, Primum quòd ſint ſuſpecti, & ſic quòd ſint indicia bene probata, ex quibus reddantur ſuſpecti. Alterum, quòd ſubſit cauſa: quod ego intelligerem, quòd ſit delictũ tale propter quod meritò deueniatur ad torturam: & quòd clericus torqueri poſsit propter delictum etiam ſi agatur ciuiliter contra eum, notant Abb. & Philip. Francus in cap. Dilectis. de appellat. per text. in cap. j. de depoſi. In hoc autem ſummè notandum eſt quod voluit Abb. antiquus in d.c.j. videlicet quòd clericus non debet torqueri, niſi ſint indicia, & ſit infamatus: cuius ſententiam dicit eſſe communem Cardi. ibi, vt refert Barba. col. iiij. quã etiam deciſionem doctores plures ſequuntur & celebrant, quos ego in meis regulis & fallentiis collegi, in regula incipien. Confeſſus de crimine, in ij.

fallen. in iij. ſublimitatione. { & vltra illos idem ſequitur Paris in tracta. de ſindicato in impreſsione parua fol. cclxxxvij. in cap. incip. Mandauit rex. } Quamuis à prædicta communi ſententia voluit no uiſsimè recedere Alciatus paucis & leuibus fundamentis, in c. j. de offic. ordi. ſuper gloſ. j. nume. xliij. verſi. Aduerte tamen. Quod in tantum habet locū, quòd Bonus de Curti. in tract. nobilitatis, fol. xv. col. iiij. in fin. prout ſuprà retuli, dicebat quòd etiã ſi contra clericum ſint mille indicia, niſi ſit infamatus non poteſt torqueri. Quod etiam ſcripſit Thomaſius Grammaticus in voto xj. incipien. Tremẽdi Dei, in num. xv. pro quo allegat Paul. de Eleazar. & Abb. antiquum in d. c. j. & Ioan. Andr. & Panor. in d. regula. Cum in contemplatione. & Ana. in c. j. de cleri. percuſſo. Qua deciſione Abb. antiqui motus Feli. in c. De hoc. de ſimon. in col. j. tenet quòd licet aliâs confeſsio extraiudicialis ſit ſufficiens ad hoc vt poſsit quis poni ad torturam, vt per gloſ. vulgatã in l. Capite quinto. ff. ad l. Iuliam. de adult. tamen fallit hoc in clerico, quod eſt notabile in propoſito: & poſſent decipi in hoc plures eccleſiaſtici iudices, qui moti ex illa concluſione cõmuni torquerent clericum, qui extra iudicium confeſſus eſt crimẽ. Quã concluſionem ego latius poſui in dicta mea regula, & d. iij. ſublimatione: & ſequitur etiã eam Decius in c. At ſi clerici. de iudi. col. xj. in prin. verſ. Quartò limitatur. Ex quibus enim (ſaluo meliori iudicio) crederem non bene conſuluiſſe Zabarellam in conſil. xlv. Caſus talis eſt in fin. dũ dicit quòd ſi clericus legitimè tortus confiteatur delictum pro quo torquebatur, non reputat abſonum quòd interro-

getur

getur de aliis criminibus de quibus nulla contra eũ erant indicia,& ſic iudicem eccleſiaſticũ ob id non eſſe reum alicuius pœnæ:nam ſi clericus non poteſt torqueri niſi extãtibus indiciis & infamia,quomodo poterit interrogari de delictis de quibus non eſt infamatus, nec indicia ſunt, licet iam fuerit confeſſus aliud delictum? præcipuè quia fundamentũ ſuũ eſt ſatis fragile,videlicet quia preſumitur criminoſus etiam in aliis, ex quo vnum eſt confeſſus, per regulam, Defleat.de reg.iuris. Vnde iudicem talia facientem & Deum in cœlis, & ſuperiorem ſuũ in terris offendere credo,& ſic ab eo puniri poſſe propter id: quia ſi Zabarella intelligit quòd poteſt interrogari de delictis alterius generis,quàm illud pro quo fuit tortus:hoc videtur planè eſſe impium, vt cogatur quis prodere ſeipſum in delictis occultis. Si verò intelligit quòd poſsit impunè interrogari de delictis eiuſdem generis,hoc non poteſt fieri,vt notat Alber.de Gandi. in tracta.maleficiorum,in rubr.de quæſtio.& tormentis,in col.iiij.verſic. Sed quid de quæſtione. vbi tenet quòd de iuris ſubtilitate tortus & confeſſus aliquod furtum de quo erant indicia,nõ poteſt de aliis furtis interrogari, licet de generali conſuetudine Italiæ ſeruetur contrarium: quem refert & ſequitur Franc.de Bruno in tract. de indiciis & tortura,in fol.x. col.iiij. limitãdo quando eſſet diffamatio generalis contra aliquem quòd eſſet magnus latro , quia tunc dicit laudabilem eſſe talem conſuetudinẽ quòd de aliis furtis interrogetur, aliâs nõ. Si ergo nec latro laicus poteſt interrogari de aliis furtis, quantò magis clericus? Tradunt præterea doctores aliqui ſummiſtæ aliud ſpeciale in

tortura clericorum, videlicet quòd clericus tortu-
ræ exponendus debet prius degradari: hoc ſcripſe-
runt autores Roſellæ, & Silueſtrinæ in verbo de-
gradatio, qui referunt Alexand. in additionibus ad
Bart. in l. omnes. C. de decurionibus. lib. x. & Roſel-
la refert Roma. in conſil. incip. Manifeſtum eſt, &
allega text. in l. Et ſi excepta. C. de malefic. & mathe.
ibi præſidio dignitatis exutus. Sed ſalua eorũ auto-
ritate hoc nõ credo verũ: nã præter id quod Alexã.
quem ipſi referũt hoc nõ ſcripſit, & q̃ Roma. conſi.
non inuenitur, quis ſibi perſuadere poterit clericũ
nondum conuictũ, ſed ſolùm indiciis & infamia no
tatum eſſe degradãdum, antequàm conſtet de veri-
tate delicti? Item text. in d. l. Et ſi excepta. nõ obſtat,
& verba illius ſuprà relata intelliguntur, id eſt, non
obſtante priuilegio dignitatis. & ita intelligit Azo
in ſumma illius tit. & Bald. & Salic. in ead. l. & Bo-
nifacius in tract. maleficiorum, tit. de malefic. & ma-
the. licet Ange. ibi quem ſequitur Ana. in c. j. de ſor-
tilegiis, col. iij. dicat per illum text. quòd ſi conſtitu
tus in dignitate eſt torquẽdus, debet exui omnibus
inſignibus illius dignitatis, & ſic degradabitur, ſi-
cut fit in ſacerdote, quãdo duci debet ad ſuppliciũ.
Nec ſuffragari poterit dictæ opinioni text. in l. pro-
ditores. ff. de re militari, cuius verba ſunt, Prodito-
res vel trãsfugæ plerunq; capite puniũtur, & exau-
thorati torquentur, nã pro hoſte, nõ pro milite ha-
bentur: arguendo de milite ad clericum: quod argu-
mentũ bene procedit, vt per Nicolaum Euerardũ in
ſuis topicis iuris, in fol. xxxiij. quia illa lex nec in
milite hoc diſponit: nam verbũ torquẽtur ibi poſi-
tum nõ debet intelligi de tortura quæ fit ad inueſti-

gandam

gandam veritatẽ, sed quæ datur in pœnã. Et quàmuis hoc in milite esset expressè dispositũ, nõ deberet applicari ad personas clericorum: quia in hoc nõ esset recipiendũ argumentũ de milite terrestri ad cælestem, cùm talis similitudo esset odiosa clericis, & in casu notoriè iniusto & contra iuris principia. Et contrariũ senserunt Ange. & Ana. in locis suprà relatis dum æquiparant militẽ & clericũ nõ in tortura, sed quòd miles debet degradari ad torturã, sicut clericus degradatur ad supplicium. In hoc insuper proposito referendum duxi, quod tradunt Ioan. de Ana. in consi. j. in fina. verbis. & ibi sequitur Ludo. Bolog. in addi. ad eundem, quòd si non fuit petitum in prima instãtia quòd clericus torqueretur, potest peti postea in causa appellationis tãquam omissum, & respõdet ad dictũ Ang. in l. Minime. C. de appella. quòd illud est verum, quãdo non peteretur fieri: sed salua tantorũ patrum autoritate, iudicio meo decepti sunt in intellectu doctrinę Ange. quia ille solùm dicit quòd appellatione pendente nõ debet appellãs sustinere pœnam corporis, vel cruciatũ, quòd apertè intelligendum est respectu iudicis à quo: quia ille siue petatur coram eo, siue non, non potest torquere reum appellantem, quia innouaret, non tamẽ tollit quin iudex appellationis post deuolutã ad ipsum causam possit hoc facere: vnde cùm doctrina Ange. non aduersaretur illis, superuacaneum fuit velle illi satisfacere. Sed nec mirandum est: sunt enim lapsus scribentiũ, quos expedit benignè à lectoribus suffer ri: non enim semper vacat singula quæq; scribenda rimari. Item aduertere etiam debent iudices ecclesiastici, quòd tortura clericorum non debet esse ita

sæua, sicut laicorum. ita dicit communiter teneri Abb. in d. regula Cum in contemplatione. vnde secundùm eum clerici non debẽt supponi aculeis, seu fidiculis, sed virgis, seu corrigiatis, pro quo allegat bonum text. in c. j. in fin. xxiij. q. v. Nec mirandum enim q̃ in ipso processu & tortura clericis suspectis de delicto aliquis fauor impendatur qui laicis non conceditur, cùm etiam postquàm sunt conuicti de crimine tam dispari pœna plectantur, & sic mortis pœnam euadãt: præsertim cùm in iure videamus milites seculi à tortura immunes effectos: quod etiam de doctoribus & nobilibus in legibus regni nostri disponitur. Quid mirum igitur si cùm militiæ cingulum, doctoratus gradus, parentum nobilitas, tot homines à tortura penitus liberet, clericalis ordo promereatur, vt clericorũ torturam indicia ac infamia præcedãt? Nota tamen q̃ clericus nõ potest torqueri per laicũ etiã iussu prælati sui. ita tenẽt Anto. & Anch. in c. vt famæ. de sent. excõ. vt refert Abb. ibi, in fin. & sequitur Dec. in c. Dilectis. de appel. in prin. licet cõtrariũ & malè secũdùm Abb. vbi suprà habeat cõmunis obseruãtia. Hoc etiã concludit idẽ Abb. in c. Vniuersitatis. in iij. nota. eo. tit. vbi dicit hoc de iure fieri non posse, & quod hoc ideo sic fit, quia hodie clerici torquẽtur: vt laici: & talis modus torquẽdi nõ posset fieri per clericos, q̃a ferè nemo in huiusmodi obtẽperaret, nec sunt edocti in arte ista torquẽdi sicut & laici. Et vide Barba. in c. decernimus. de iud. col. antep. vbi refert Bal. tenẽtẽ ibi q̃ episcop⁹. põt cõmittere laico vt clericũ torq̃re possit: ipse tñ Barba. miratur Bal. ista sic intellexisse, & allegat Ant. vbi suprà tenẽtẽ cõtrariũ. Vide tñ Fel. in d.

c. Vni

c. Vniuersitati.de sen.ex.vbi dicit q̃ ista est cõclusio vera & verissima, q̃ laici torquentes clericũ præcepto episcopi vel vicarij nõ excusantur, imò faciẽtes clericos p̃ laicos torqueri sunt excõmunicati.& dicit ita tenere Arch.& Io.de fantu.in c. Presbyteri.el j.v.quæst.vj.& addit vlterius quòd si clerici nesciũt torquere, quòd tunc poterit vocari officialis laicus qui ligabit clericũ torquendũ, & postea clerici possunt torquere. Quod nõ videtur satisfacere: quia peritia torturæ ita & magis cõsistit in actibus ipsis torquẽdi, quàm ligãdi. An autẽ clericus possit ad tortura ponι ex cõfessione delicti facta per eũ corã iudice laico, Barba.in c. At si clerici.de Iudi.col.xiiij.versi. Capio nunc, motus septem fundamentis concludit quicquid alij dixerint, quòd nullo modo potest torqueri: licet Card.in c. Per inquisitionẽ, de electione, tenuerit quòd sic. Bene tamen fatetur Barba. quòd si clericus confiteatur crimen corã iudice ecclesiastico, aliâs non suo, quòd tũc compellitur vel excusare illã cõfessionẽ, vel perseuerare in ea per tormẽta: & quòd isto modo potest saluari opinio cõtraria.& vide eũdẽ Barba.prius in d.c. At si clerici.in col.iiij.dicẽtem quòd per illum tex. cõfunditur doctrina Bald. in l.vnica.de confessis.in pen.col.dum scripsit quòd ex confessione facta per clericum coram laico non est torquendus clericus per episcopum, dummodo illam cõfessionem reuocet vt erroneã, nam cùm tex. ibi dicat quòd talis confessio non tenet, non est reuocanda: quia quod nullum est, reuocari non debet. Atque asserit in hoc somniasse tantum doctorẽ. An autem clericus vacillãs in testimonio possit torqueri? Bal.in sua margarita, in verbo clericus, tenet

quòd sic,& refert Inno. in c. Conquestus.de re iudi. hoc tenentem.Sed clarè patet quòd allegat corruptè Inno.quia non est talis tex.in illo tit. Ideo ob solam Bal.authoritatẽ hoc nõ crederem practicãdũ, cùm, vt suprà scripsimus,clerici nõ sunt torquẽdi ad eruẽ dam veritatẽ delicti etiã extantibus indiciis,nisi adsit infamia,quãtò magis non poterit torqueri propter solam vacillationem inferendo testimoniũ,cùm sufficiat quòd si de falsitate testimonij fuerit conuictus,poterit ob id puniri.Si verò solùm vacillauerit, tũc poterit de vacillatione puniri iudicis arbitrio: ad cuius etiã officiũ spectabit quãta sit illi fides adhibẽda discernere.Neque suffragatur opinioni Bald. lex Presbyteri.la j.C.de episco. & cler. dum probat quòd presbyteri licet vacillẽt in testimonio nõ sunt torquendi.Alij verò cleri inferiores sic, secundùm glos.& summarium Salice. ibi. Nam illa l.non potuit hoc disponere circa personas clericorũ,quod fatetur glo.in c.Quia iuxta.§.Presbyteri.lo ij. v.q.vj. vbi ad literam est inserta illa l.per Gratianũ: & ideò dicit quòd illa l.instruit iudicem ecclesiasticũ quid facere debeat.Sed ego credo etiam salua glos. authoritate quòd hodie iudex ecclesiasticus firma manente communi opinione de qua suprà,& cùm contrarium non reperiatur de iure canonico, non poterit sequendo instructionẽ illius legis clericos inferiores propter vacillationẽ torquere.& licet d.l.presbyteri.fuerit per Gratianum admixta canonibus, nihil sibi per hoc authoritatis accesit. Nec curare debẽt iudices ecclesiastici quod notat Alberi. in d.l.Presbyteri.dum putat ipse quòd clericus etiam si vacillet & dicat se interfuisse facto corã iudice seculari torqueri nõ potest per eũ,sed per suũ iudicẽ ecclesiasti-

cũ:quia fundamenta quæ allegat nõ probãt neq; ſuf ficiũt:& ſua opinio adhuc habet intolerabilius in- cõueniẽs,dũ firmat quòd propter vacillationẽ factã corã ſeculari poſsit clericus torqueri per eccleſiaſti- cũ iudicẽ.In torquendis præterea reis,ſi in ciuilibus magiſtratibus crudelitas abeſſe debet,quantò magis ab eccleſiaſticis iudicibus fugienda eſt ? præcipuè quia ſæpius tortura cogit innocentes ipſos dolore cruciatos fateri delicta quæ nõ perpetrarũt:quia vt dicit Ambroſius in epiſtolis,Nimia ſeueritas extor- quet plerũq; crudelitate mẽdaciũ,prout etiã apertiſ- ſimè legitur in admirabili illo miraculo per Hiero- nymũ deſcripto ad Innocentium de muliere ſæpius icta.{ Aduertãt etiã eccleſiaſtici Iudices,quòd ſic de linquẽtes torquere præcipiãt,vt veritatẽ inueſtiga- re ſatagãt,ſine vitæ diſcrimine,aut mẽbrorũ pericu lo,taliter vt ipſe torquẽdus ſaluus ſit innocentiæ vel ſupplicio,vt ſunt verba tex.in l.queſtionis modum. ff.de queſt.Si verò cõtigerit, quòd tortus maneat de bilitatꝰ in mẽbro aliquo,adeòvt quaſi inutile redda tur,nõ per hoc exiſtimet ſe irregularitatẽ incuriſſe, vt notat Abb.poſt Gaſp.in c.j.nu.ix.q cle.vel vouẽ. Crederẽ tamẽ in hoc dicẽdũ,ꝙ ſi hoc dãnũ paſſus eſt tortus ꝓpter exceſsũ torturæ cõmiſsũ à Iudice,po- terit propter hoc à ſuperiore puniri,& dãnari,vt cle rico debilitato reſarciat incõmodũ.Ad quod mo- ueor ex no.ꝓHip.in d.l.queſtiõis modũ.col.pe.nu. 72.cũ ſeq.vbi tenet,ꝙ excedẽs modũ cõſuetũ,& q debet adhiberi,ſecũdũ qualitatẽ ꝑſonæ tortę tene- tur in Syndicatu,vbi etiã diſtinguit inter exceſsũ fa ctũ in tortura dolo,culpa,vel caſu,quẽ videre pote- ris poſt Salic.in l.Gracchus.C.de adul.& Ana.in c.j. col.iiij.& v.de cler.percuſ.quos ipſe cũ aliis refert.

Iuramento præmiſsis interrogari.

CAPVT CXVIII.

ETSI ad partium petitionem à clericis de criminibus accuſatis iuramentum exigi non poſsit nec debeat, ex officio tamen procedenti iudici hoc cõceditur à doctoribus ea potiſsimùm ratione. Nam cùm liceat eccleſiaſtico iudici, clerico infamato purgationem indicere, & tunc de veritate delicti iurare teneatur: ſic ei licet illum ſub iuramento interrogare, vt placuit Panor. in cap. Cum ſuper. quaſi ad fin. de confeſ. In quo tamen ego aduertendum crederem quòd cùm ex dicta ratione purgationis id permiſſum videatur, inferri poſſunt duæ notandæ concluſiones in materia. Prima eſt quòd cùm purgatio non ſit indicenda, niſi prius præſtita copia infamato de infamia, vt circa illam ſe defendat, & an à maliuolis ſeu inimicis habuerit ortum examinetur. Sic nec iudex à clerico poterit iuramentum exigere ſtatim poſt capturam, antequàm illi præſtet copiam inquiſitionis contra eum formatæ: ex quo videtur quòd practica huius Regni ſumpta ex l. iiij. parti. vij. tit. xxix. in qua diſponitur quòd reus ſub iuramento interrogetur ſtatim poſt capturam, non habebit locum in clericis. Quinimò opinor quòd in laicis captis non liceat id indiſtinctè fieri, ſalua iudicis conſcientia: niſi iudex habeat contra reum ſemiplenam probationem de delicto, aut expreſſa indicia, aut infamiam. Cùm ex mente ſancti Thomæ in ij. ij. quæſtio. lxix. arti. ij. Prædictis caſibus ſolùm liceat iudici interrogare delinquentem, & delinquens teneat

neatur veritatẽ dicere. Et vide ibi Caieta. qui declarando illam doctrinam ſancti Thomæ addit vnum notabile (iudicio meo) videlicet quòd in caſu quo præcedũt indicia, debent manifeſtari reo, vt ſciat ſe eſſe in tali articulo cõſtitutum quòd tenetur obedire iudici præcipienti, & extorquenti veritatem, ac etiam vt poſsit ſe purgare, & contra illa opponere. ex quo videtur quòd ſicut ante torturam debet dari copia indiciorum, ſic ante interrogationem, vt Iudex iuſtè interroget, & reus teneatur fateri veritatẽ. Vnde quando aliquid ex prædictis tribus capturam non præceſsit, tũc videtur quòd iudex conſcientia recta nõ poterit vti practica d.l. partite. Cùm enim captus qui delictum commiſit nõ tenetur ſe prodere, niſi præcedat aliquid de prædictis, bene ſequitur quòd aliter nõ bene interrogat iudex eum, cùm cogat captũ reuelare ſeipſum in caſu vbi non tenetur, & peccaret ſeipſum diffamãdo, ſicut aliũ quemcũq; Et præter id quod eſt iuſtum rationíque conſonum, hoc eſt iuſta mentem illius legis Regni ſi bene conderatur, hoc enim vt fiat, dicta lex præcipit in hominibus malæ famæ à quibus ſtatim poſt capturam vult iuramentum exigi. Errãt ergo apertiſsimè temerarij quidam iudices (& qui crocodili more humano ſanguine delectantur) qui ſtatim poſt capturã nullo facto perſonarum diſcrimine à captis omnibus de veritate delicti iuramentum exigunt, cùm ſæpius leuia quædam indicia cauſam præſtiterint capturę. Satis eſt enim Chriſtiano ludici ſi more Chriſtiano iuſtitiam exerceat. Secunda concluſio, quòd ſicut ſola indicia ſine infamia non ſufficiunt ad indicendam clericis purgationem, eodem modo nec

ſuffi

sufficiet ad hoc vt iudex posit ab eis iuramentum exigere super delicto.

Confessionibus proprijs.

CAPVT CXIX.

IN confessionibus clericorum illa meritò obseruari debent, quæ in aliis reis à iure dispositа ac à doctoribus interpretata leguntur, cùm in hoc nõ debeant esse deterioris conditionis quàm laici. Ex quo debent aduertere iudices, an tales confessiones clericorum fuerint extraiudiciales, vel corã non suo iudice, aut verisimilia in se continentes, aut incidenter, & non principaliter factæ, curatoris autoritate non interueniente, si clerici minores sint viginti quinque annorum, aut in tortura non seruata forma quam in talibus cõfessionibus iura exigunt: & si quid tale in illis repererint, obseruẽt illa quæ iura in hoc tradunt, & Doctores scribunt: quæ quidem transcribere nolo. Vnum tamen fortasse attentari possit in ista materia, quòd cùm clericis pro criminibus non infligatur pœna mortis, aut mutilationis membrorum, quòd in criminibus quibus veniunt puniendi citra traditionem curiæ seculari præiudicaret illis confessio facta delicti, sine eo quòd iudici necessariò cõstet delictum fuisse in veritate perpetratum. Nam quòd hoc in seculari iudicio requiratur, ex eo introductum est: quia cùm nemo sit dominus membrorum suorum, non potest aliquis in periculum vitæ suæ aut membrorum quicquam fateri commisisse, nisi in veritate constet delictum fuisse perpetratum.

tum. Attamen quòd ſua confeſsione ſola poſsit ſibi clericus in ordinibus ac beneficiis ſuis facere ſibi præiudicium non reperitur prohibitum, cùm poſſit ex conuentione ad illorum amiſsionem obligari. Vt de ordinibus probat tex. in c. quotiens. j. quæſtio. vij. Et de beneficiis probatur in c. Cũ dilecto, & cum gloſ. in verbo obligauit. de electione. & in c. fi. de crimi. fal. vbi hoc not. Abb. in iij. nota. Quamuis omnibus iudicibus conſulo, vt ſi fieri poteſt ſemper fatagant quòd illis conſtet de delicto à clericis ſibi confeſſo. Eſt & alia ſpecialitas in clericis confitentibus delictum, videlicet quòd ſine accuſatione puniantur: hoc tradit in eis ſpeciale fore Hoſti. in c. ij. de confeſ. ſic intelligendo text. ibi, quod refert ibi Card. licet quò ad illius text. literam & intellectum illum non admittat. Eſt præterea & alia tertia ſpecialitas in iſta materia, quòd licet ſit verum quòd quando agitur per viam inquiſitionis non poſsit imponi pena ordinaria delicti, vt in c. Inquiſitionis. de accuſat. fallit hoc ſi de crimine conſtat per confeſsionem. ita limitat Inno. in c. Qualiter. el ij. de accuſat. & ſequuntur ibi ſcribentes, vt refert ibi Feli. in §. licet autem. in princip. qui hoc reputat ſingulare. Ponit etiam Præpo. in c. de accuſ. ij. quæſt. viij. col. xxxviij. probat tex. quem ibi cõmendat Abb. in c. fi. de celebra. miſſarum. Item aduerte in iſta materia quòd ſola confeſsio criminis facta in cauſa ciuiliter acta, quando ageretur criminaliter non ſufficeret ad cõdemnationem: ſed poteſt compelli reus vt perſeueret in ea. ita concludit Abb. in c. Qualiter. el ij. fina. verbis. de accuſ. ſic intelligens Inno. in c. Per inquiſitionem. de elect.

Teſtib

Testibus conuictos.

CAPVT CXX.

LICET circa numerum & integritatem testium nihil sit in causis criminalibus clericorum specialius requisitum, quàm in aliis, quia tamen laici clericis oppidò sunt infesti, prouisum est quòd laici in causa criminali non possunt esse testes contra eos, vt in c. De cætero. de testibus. Quod procedit etiam contra clericum in minoribus, vt tenet Domi. in c. Sicut sacerdotes. ij. q. vij. refert Feli. in d. c. De cætero. in prin. ¶ Quod tamen limita nisi delictum, de quo clericus accusatur, esset commissum in loco, in quo non essent Clerici secundùm Abb. ibi, motum his de quibus per eum. Feli. tamẽ ibi credit, quòd difficile ista limitatio obtineret, quia non valet simpliciter consequentia, Veritas haberi non potest, ergo testis inhabilis efficitur habilis: quia illud solum est in his, quæ de sui natura ab aliis sciri nequeunt, vt not. Inn. & Anto. in c. tertio loco. de proba. Vbi etiã dicit, quòd lex Canonica in criminali adeò resistit, ne laici testificentur contra clericos, quòd non videtur iste casus posse de nouo induci ex sola autoritate Abb. Et respõdet ad fundamẽta eius. Vide tamen Ias. in l. fi. in fi. C. de his qui. vt indig. vbi sequitur limitationem Abb. Dicendo, quòd quando essemus in vna villa in qua non reperiretur nisi vnus clericus tunc quia nec habitu nec actu delictum posset probari per alios clericos, laici sunt idonei testes in subsidium. Posset tamen considerari pro Felin. contra Abb. & Ias. quòd iste casus non est ex illis, in quibus habit

habitu non possunt tales testes haberi: quia hoc videtur procedere, quando ex qualitate delicti, hoc est, vt in coniuratione vel aliis: quia doctores in hac materia loquentes, non ponunt exemplum nisi in coniuratione & similibus delictis, quæ ex communi sua natura solent clanculum perpetrari, non verò in his in quibus ex natura loci in quo committitur delictum, non possunt alij testes inueniri. Alioquin in omnibus delictis commissis in desertis admitterentur testes inhabiles: quia ex natura loci nó solent ibi homines nisi casualiter adesse. Sed quia, si opinio Abb. non seruaretur, esset dare ansam presbyteris, qui soli habitant in oppidis rusticanis, vt securè & impunè plura committerent delicta, etiam præsentibus laicis, ideo crederem quòd eius opinio seruari posset, habita prudenti consideratione per iudicem qualitatis personæ clerici delinquentis, & testium, & delicti perpetrati. Et an ille clericus, alias sit inuisus aut gratus oppidanis illius loci. Et prædictam sententiam Abb. simpliciter referendo sequitur Hippolyt. in l. diuus. col. ij. ad fin. num. ix. ff. de quæst. vbi multa ponit in proposito, scilicet quòd vt veritas inueniatur quando ipsa aliter haberi non potest, conceditur illud, quod aliter non concederetur, & propter hoc receditur à regulis iuris communis. ¶ Quod etiam fallit in crimine notorio, probat text. quem dicit ad hoc Abb. optimum. in cap. pen. de purg. canon. Item etiam fallit in criminibus exceptis, scilicet simoniæ, hæresis, & læsæ maiestatis. ita notat glos. in c. Cum P. de accusat. in verbo laicus. Item mutilatis membris, vel corpore viciati non possunt testificari contra clericum in causa cri

minali,notat Abb.antiquus in c. j. de except. refert Bald.in ſua Margarita,in verbo mutilati, dicit perpetuò menti tenẽdum.Hippoly.in ſua pract. criminali,in §.Nunc videndum. in col.pen. num.lij. Aduerte tamen in iſta materia ꝙ cõuicto clerico de crimine cùm ageretur ciuiliter,lata ſentẽtia poteſt ſuus ſuperior priuare illũ beneficiis, vigore illius ſententiæ, formata de nouo inquiſitione, & aſſumpta illa ſentẽtia, tanquã inducente notoriũ.ita voluit Inno. in c.Qualiter. el ij. de accuſat. vt refert Abb.in fin. qui dicit cum hac ſua ſententia tranſire docto.communiter, qui tamen dicit aduertendũ : quia hoc dictum eſt periculoſum,& refert Innoc.ſenſiſſe oppoſitum in c.Per inquiſitionem.de elect. Fama verò an probetur per laicos cõtra clericos, vide per Ant. in c.In literis.col.vlt.de teſt. Et pro intellectu materiæ huius cap.& præcedentis, nota quòd licet cõuictus & confeſſus parificentur,vt notatur in c.At ſi clerici.de iudi. in princ. hoc intelligendum eſt quantum ad hoc vt perueniatur ad ſententiam,non quo ad omnia.ita tradidit Card.ibi.& de differentia conſtat ex his quæ notãtur in c.ij.de confeſ.& in c.j.de teſt. loquendo in teſte qui conuincitur de crimine tangente cauſam,aut qui illud confitetur.Nunquid autem clericus poſsit conuinci de delicto duobus teſtibus tantùm?ſi credimus Paul.de Caſt.in l.Iudices. C.de Iudic. in fin. verbis videtur dicendũ quòd nõ: ſcripſit enim ibi, quòd in criminali non videntur ſufficere duo teſtes ſine aliis præſumptionibus. Sed contrarium credo verius ſequendo Card. in Cle. j. §. Verum. in j. quæſt.de hæret. vbi concludit quòd etiam in cauſa hæreſis ſufficiunt duo teſtes propter

ius

ius generaliter disponens, quòd in ore duorum &c. Cuius opinionem dicit veram repertorium inquisitorum, in verbo testes, in §. Per quos testes. vbi allegat pro ea glos. not. in c. Præsul. ij. quæst. iiij. quæ tenet quòd contra Papam sufficiunt duo testes: de qua etiam glos. meminit Felin. in cap. Quotiens. de testib. in j. col.

Ab ingressu Ecclesiæ interdici.

CAP. CXXI.

POENA ista minor est pœna suspensionis ab officio, quippe cùm solùm in ecclesia prohibeat eum qui patitur illum in officio suo agere. Et is cui sic est Ecclesiæ interdictus ingressus, cùm sibi censeatur in ipsa celebratio diuinorum interdicta, irregularis efficitur, si cõtra huiusmodi interdictum diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut prius: vt sunt verba text. in c. Is cui. de sent. excom. lib. vj. Quod procedit intantum, quòd etiam si celebret in ecclesia non consecrata quæ propriè dicitur basilica, est irregularis, vt notat Domi. ibi referendo Calder. { & idẽ tenet Sylvest. in verbo interdictũ. lo vj. §. v. in sua summa. } Si autem celebrat nõ in ecclesia, sed in oratorio strictè sumpto, ita quòd non sit ecclesia, tunc nõ est irregularis, vt not. Domi. ibi referẽdo eundẽ Calde. { interdictus tamen ab ingressu ecclesiæ vnius poterit in alia celebrare, vt tenet glo. in c. Is cui, verbo, in ea. de sent. excõ. lib. vj. & suspẽsus ab ingressu ecclesiæ si celebrat extra ecclesiã non est irregularis. notabile est dictũ Inno. in c. Sacro. de sent. excõ. super glos. verbo Mensem, quẽ sequũtur plures doctores,

quomodo ibi refert Felin.col.ij.num.vij. } Itẽ nota quòd si is cui est interdictus ingressus ecclesiæ administrat sacerdoti in missa intra ecclesiam,puta,vt diaconus offerẽdo calicem in altari, vel vt subdiaconus porrigendo diacono hostiam, & calicem in ordine, incurrit etiam irregularitatem secundùm Domi. ibi, Quæ omnia etiam ibi refert & sequitur Philip. licet breuioribus verbis. An autem liceat ei cui est interdictus ingressus ecclesiæ intrare illã audiendi diuina officia, vel orãdi, seu transeundi gratia: vide per eos ibidem, quorum dicta referre non curo. Statuit præterea text.in d.c. Is cui, quòd si talis clericus dicto interdicto durante decedat, nõ debet in ecclesia vel cœmeterio ecclesiastico sepeliri, nisi pœnituerit. Ex quo mihi visum est semper q̃ in hoc vltimo text.loquitur,quando clerico imposita est talis pœna propter cõtumaciam, vel quandiu satisfactionem quam præstare potest impendit, quando verò in pœnam criminis, cùm iam pœna morte finita sit, crederem tunc eum sepulturæ tradendum Ecclesiasticæ.

Suspendi.

CAPVT CXXII.

SVSPENSIO est vna de ecclesiasticis cẽsuris, vt probatur in c. Quereti. de verb. signi. per quam interdicitur officiũ, vel exercitium cõpetens alicui personæ ecclesiasticæ: quæ interdictio aliquãdo à iure, aliquãdo à iudice fit: de qua vltima suspensione (hominis videlicet) nobis ad præsens est sermo. In qua quidẽ inferẽda iudex aduertere debet, q̃ si imponit eam in pœnam

pœnam delicti, monitio nõ eſt neceſſaria, licet aliâs quando fertur pro contumacia, nõ debeat ferri ſine monitione, ſicut neq; excommunicatio ſecundùm Abb. in c. Reprehenſibilis. de appella. poſt Innoc. in c. j. de exceſsib. prælat. Et idem notat Card. in Clem. fin. de pœnis. verſ. Quod ſi. { & idem tenet Sylueſtr. in ſumma, in verbo ſuſpenſio. §. iiij. } Et q̃ propter delictum poſsit inferri ſuſpenſio, probant iura in c. Tã literis. de teſtibus. & in c. In loco. v. q. iiij. ſecundùm Abb. vbi ſuprà. & vide aliam notabilẽ differentiam in hoc quòd ſuſpenſio fiat propter crimẽ, aut propter contumaciã: nam primo caſu prouidẽdum eſt ſuſpenſo à beneficio, ne cogatur mendicare. Secũdo verò non, cùm ipſe poſsit ſibi prouidere ſatisfaciendo. ita notat Abb. in c. Paſtoralis. in §. Verum. col. penult. de appel. ſic intelligendo gloſ. in c. Cum Vintonienſis. de elect. Debet præterea à iudex aduertere q̃ aliquando oportebit ſuſpendere delinquentẽ ab omni ordine, vel ab vno tantùm, aliquãdo etiam ab ordine & beneficio ſimul, aut à beneficio tãtùm, conſyderata delicti qualitate & ordinis in quo exceſsit. Si autem ſuſpenſio fiet ſimpliciter ab ordine, illa intelligitur ab omni ordine, & ſi ſit ſuſpenſus ab ordine Subdiaconi, intelligitur ſuſpenſus ab omnibus ordinibus ſuperioribus, ſecus autem ecõtrario: quia ſuſpenſus ab ordine ſacerdotali poteſt exercere officia inferiorum. An autẽ ſuſpenſus ab officio intelligatur ſuſpenſus à beneficio, vide glo. nota. in d. Clem. fin. de pœnis. in verbo, Suſpenſi. & ibi Cardin. eundem in Clem. j. de priuileg. in verſ. Cæterùm. in vij. quæſt. cum duabus ſequent. Imol. in c. Cum dilectus. de conſuet. viij. col. aliqua notãda per Præpoſi.

in c.Presbyterũ.xxviij.distin.in ij.& iij.col. Et vide bonã distinctionẽ per Sylvest. in verbo Suspẽsio. in §.v.versi. Si quis est suspẽsus,quã trãscribere nolo. In hac insuper materia semper cõsulo iudicibus, vt in sententia vel præcepto suspẽsionis apertè declarent à quibus ordinibus vel actibus, vel beneficiis intendãt suspendere clericũ:quia cùm cõstat de voluntate iudicis,illa seruãda est. Vnde cõcludit Abb. post Anto. in d.c.Pastoralis.§. Verum.col.fin.de appel. quòd si Iudex quando suspendit aliquẽ à beneficio,intendebat inhabilitare eum ad omnia beneficia:tunc sententia porrigit effectũ suum extra territoriũ iudicis, licet executio debeat fieri per Iudicẽ territorij. Si verò simpliciter intendebat suspẽdere à beneficiis quæ habebat in suo territorio, tũc procedit glo.in d.§. Verum.quia taliter suspẽsus potest alibi habere beneficiũ. Effectus autẽ suspensionis factæ à iudice est, ꝙ celebrans durante illa in ordine à quo fuit suspẽsus est irregularis.{ vt not.Ioan.And. & docto.in cap. Si celebrat.de cleri.exco. minist. & Domi.& Philip.in c.j.§.fin.in fin.de re iudi.lib.vj.} Ideo monendi sunt clerici dum suspendũtur, ne celebrare audeant suspensione durante. Tãta est enim pluriũ imperitia, vt credãt solum iudicis præceptũ violare si celebrent, non verò pœnam irregularitatis incurrere. Suspensio præterea aut est temporalis, aut perpetua. Temporalis non operatur vltra tẽpus præfinitũ, & eo lapso tollitur sine alia absolutione. Perpetua verò æquiparatur depositioni, vt notatur in c. Si quis. lxxxiij.distin. vbi Domi. quem ad hoc refert Decius in c.Apostolicæ.col.pen.vers. secundo.Abb.de exceptio.& vide Imol.in c.Cũ dilectus.

de

de consue. viij. col. qui referendo Gasparem Calde. dicit quòd suspensio perpetua ab officio habet vim priuationis, & tũc taliter suspẽsus censetur priuatus beneficio secũdùm eũ. Ex quo videtur dicẽdũ quòd per talẽ suspẽsionẽ ab officio, videatur beneficiũ vacare, vt possit fieri prouisio de eodẽ. Et sic suspensio perpetua nõ debet imponi nisi pro graui crimine, sicut de depositione dicitur in c. Tuæ. de pœnis. Quę autẽ crimina sint suspẽsione digna, licet Ant. in c. At si clerici. de iudi. visus fuerit dare regulã: Abb. tamẽ ibi, in col. xj. dicit q̃ nõ potest dari certa regula: sed iudex informabit motũ animi sui ex casibus à iure expressis, vt in illis & similibus imponat pœnam suspẽsionis, & sic secũdùm eũ cõmittitur hoc arbitrio superioris: quod ibi sequitur And. Sicu. col. xxviij. in fin. de suspẽsione verò iuris nihil referre libet, sufficiat videre Sylvest. in d. verbo Suspẽsio. in §. vj. vbi colligit xl. casus in quibus quis incurrit suspẽsionẽ à iure. Vnũ insuper nota in hac materia, q̃ si Iudex suspẽdat illũ qui est suspẽsus à iure, nõ præsumitur in dubio suspensus ab homine, quia præsumitur q̃ Iudex voluit in dubio exequi pœnã iuris, non verò nouã suspẽsionẽ infligere, vt notat Didacus de Villadiego in tract. de irregularitate, in c. De suspensione, in col. j. referẽdo Abb. in c. Tuarum. de priuileg.

Beneficijs priuari.

CAPVT CXXIII.

VM enim beneficia ecclesiastica stipẽdia sint ministrorum ecclesiæ, & hos deceat honestos ac mũdos esse, meritò quidem canonica iura sanxerunt facinorosos ac

improbos clericos beneficiis priuãdos fore, vt probis viris concedantur, qui qua decet vitæ puritate miniſtrent. Vnum tamen aduertere debent iudices, quòd beneficio non debet priuari clericus, niſi crimen ſit graue. text. eſt in c. Inuentũ. xvj. quæſtio. vij. quem dicit notabilẽ Abb. in c. Tuæ. de pœnis. { & eſſe bonũ text. in c. j. num. ij. de Iudi. } Pœna inſuper priuationis à beneficio non poteſt imponi à iudice niſi exprimatur à iure, per glo. quam ibi reputat ſingula. Abb. in c. fin. de iure patro. & in c. Cum vos. de offic. ordin. Et in §. Cum igitur, in auctẽ. de nõ eligen. ſecun. nuben. vbi eſt text. ſingul. ſecundùm Bal. in auct. ex teſtamento. C. de collatio. & ita tenet Barba. per prædicta. in c. Nouit. de iudi. in col. xlv. verſ. Tu pondera. Et vide etiam Domin. in c. Quo iure. viij. diſt. col. vlt. vbi dicit quòd nullũ crimẽ inducit priuationem ipſo iure, niſi ſit iure cautũ. Quod refert Felin. in c. Querelã. de iureiur. in col. ij. { & in c. ex parte Io j. col. j. de reſcript. } vbi etiam plura allegat in propoſito præcedentis cõcluſionis. Plura etiã cumulauit Tiraquellus in repet. l. Si vnquam. C. de reuocandis donationibus. in gloſ. in verbo reuertatur, in numero ccvj. & in duob. ſequent. Item nota quòd per ſententiã latam ſuper crimine non eſt quis priuatus beneficio, niſi hoc ſententia exprimat, notat Innoc. in c. Qualiter & quando. el ij. in gloſ. ſuper verbo diminutionem. de accuſat. vt refert Rota in collectis per Bernardi. de Biſgneto, in tit. de ſenten. & re iud. in deciſ. fin. in fina. verbis. facit etiam quod Bald. in l. Cum fratrem. C. de his quib. vt indignis, voluit ſentire, quòd ſi fuit ſententia lata ſuper homicidio, & de beneficio nihil fuit dictum,

quòd

quòd nõ posſit impetrari tãquàm vacãs, quẽ ad hoc refert Ioan. de Ana. in c. fi. col. j. de homic. Vide tamẽ Abb. in c. Inter dilectos. de excef. præla. prope fi. vbi ex verbis Innoc. ibi notat. quòd condẽnatus de aliquo delicto per ſententiam cenſetur priuatus ipſo facto beneficio ſuo, intelligẽdo ſecundũ eũ quãdo crimẽ erat tale quòd inducebat priuationẽ beneficij, vel quando irrogabat infamiam ipſo facto: nam ſufficit quòd condẽnetur, licet pœna non exprimatur in ſententia, quia illa intelligitur poſita autoritate iuris. pro quo allegat l. j. ad Turpilia. & alia iura. facit ad hoc quòd vbicũq; quis incurrit ipſo facto pœnã priuationis beneficij, poteſt abſq; alia ſentẽtia beneficiũ cõferri alteri. probat text. in c. j. & notat ibi Domi. ex eo. in col. iiij. in §. Sacri. de homi. in vj. qui generalius ibi tenet in col. vj. verſ. quæro quare. quòd omnia iura canonica & ciuilia quæ dicunt ipſo iure, vel ipſo facto aliquem puniri confiſcatione bonorum, vel alia pœna quacunq;, debẽt intelligi, vt ſufficiat declarare vel pronunciare illum talis criminis eſſe culpabilem: & locus erit dictis pœnis iuris, etiam ſi in ſententia non exprimantur. { idẽ tenet Abb. in c. peruenit. el j. de appella, quẽ refert & ſequitur Felin. vbi alia dicit in propoſito. in c. j. col. xij. num. vj. De conſt. Et illud dictũ Domi. Comẽdat idẽ Feli. in c. ij. col. j. nu. ij. de ſpõſa. } Et aduerte quòd iudex delicti non ſolùm poteſt pronunciare ſuper delicto, ſed poteſt priuare delinquentem beneficio quod habet alibi. ita notat Cardin. in clemen. Paſtoralis. verſic. Deniq; in ij. quæſt. in fin. de re iudic. Si tamen clericus in terra eccleſiæ ſuæ inculta, induſtria ſua & laboribus ſiue expenſis plantauit vineam, ſeu reduxit

ad culturam causa suæ sustentationis, licet priuetur postmodùm beneficio propter delictum, relinquitur sibi illa terra vsque ad vitam suam, notat Abb. post Inno. in c. fin. de pecu. cleric. & ibi Barba. col. iij. An autem clericus qui priuatur beneficio teneatur ad restitutionem fructuũ. vide Paul. de Castro in l. j. C. de his qui. vt indig. vbi per text, ibi referendo Guillel. de Cuno dicit quòd si clericus committit delictum, propter quod possit priuari beneficio, licet habeat ius in re, quousque sit priuatus, postquam tamen est priuandus tenetur restituere fructus quos percepit à die commissi delicti, vel percipere potuit, siue extent, siue sint consumpti, & siue sit effectus locupletior, siue non. Sed Guillelm. ibi non loquitur in clerico, sed in vasallo committente felloniam. Et hanc opinionem Pauli sequuntur Salice. Alexand. & Ias. ibi, q uam etiã conclusionẽ inter sua singularia annumerauit Hippo. singul. D xxv. Clericus qui commisit, pro ea tamẽ nihil aliud, allegat nisi aliquos ex dictis doctoribus in d. l. j. Idem etiam tenent Baldus, Angel. & idem Paul. in l. prædonis. ff. de petit. hæred. & Roma. in l. Diuortio. ff. solut. matrimo. Henric. in c. Cum nostris. de concess. præb. Et prædictam sententiam Angeli in dicta l. prædonis. celebrat pro notabili Hippolyt. in singula. cclxviij. Verus possessor, nihil aliud nisi Angelum referendo. Et hanc etiam conclusionem videtur sequi Decius consil. cxviij. Viso instrumento. col. j. referendo doctor. in dicta l. j. & Angel. in d. l. prædonis. Contrariam tamen sententiam tenet Cardin. in cle. Constitutionem. §. Cæterum. in fin. de elect. Philip. Corneus in d. l. j. C. de his qui. vt indignis. j. col. &

Felin.

Felin. in cap. De quarta. in col. x. de præscript. vbi per septem fundamenta hoc putat esse verius, & respondet ad fundamenta in contrarium adducta. Nouissimè autem vide egregium doctorem nostrũ Hispanũ Anto. de Burgos, in c. Ad nostram. de emp. & vendit. in col. xj. versicu. Venio modò. vbi dicit quòd licet aliâs solebat comprobare illam sententiam Feli. tamen quòd tunc diligentius considerando tenet contra eum, & sustinet opinionem contrariam, & satisfacit ad fundamenta Feli. & dicit quòd nullo modo concludunt eius dicta, nisi dum allegat quandam decisionem Rotæ, cui ipse respondet paruipendendo eam. Et quia videtur esse communior opinio cum Paulo, & suis sequacibus in dicta l. j. ideo illam tenendam censeo: quàmuis in clerico qui post commissum delictum propter quod priuatur, semper perseuerauit seruiendo in ecclesia vbi beneficium habebat, crederem ipse benigniorem & æquiorem opinionem Felin. & aliorum, quòd tunc solùm talis damnaretur ad restitutionem fructuum à die propositæ contra eum accusationis, vel formatæ inquisitionis, nisi quando delictum induceret priuationem ipso iure, vt in crimine hæresis & simoniæ, vt suprà dictum est suo loco, & in aliis quinque casibus, videlicet in cap. Felicis. de pœn. lib. vj. & in clement. Multorum. de pœn. & in cap. Eum qui. de præben. lib. vj. & in c. j. de homi. lib. vj. & in c. Ad falsariorũ. de cri. fal. quia tũc clericus indistinctè posset condemnari ad restitutionem fructuum à die cõmissi delicti: & isto modo potest intelligi doctrina Bald. in titul. de pace iura. firman. in vsi. feu. in §. Iniuria. versi. Quæro an committat furtum.

tum.dum tenet quòd recipiens fructus beneficij qui priuatus est iure,committit furtum.Crederem præterea in hoc proposito posse dici(saluo meliori iudicio)quòd quando clericus propter crimen damnatur ad restitutionem fructuũ quòd dãnabitur solùm ex quadam æquitate ad restitutionem perceptorũ, non autem eorum qui percipi potuerunt: satis est enim, si ecclesiæ cui applicandi sunt, clericus restituat fructus quos percepit, quàmuis illos consumpserit,sine eo quòd tam stricta exactio fiat ab eo, sicut si spoliasset aliquẽ illo beneficio,& essent restituẽdi fructus spoliato insimul cũ beneficio.Itẽ nota in materia huius cap. quòd inferior à papa vt legatus vel episcopus potest cũ causa inhabilitare aliquẽ ad beneficia,etiam in perpetuũ per statutũ vel sentẽtiã, vt not.glos.quam ad hoc ibi dicit singularem Ioan. de Imo.in Clemen.ij.de vi.& hone.cle.in verbo inhabilis.qui etiã refert Anto. dicẽtem quòd tũc ipse inferior posset cũ tali irregularitate ad beneficia dispensare.Vide tamẽ Feli.in c.Postulasti. col.ij.vers. Et adde.de fo.compe.vbi intelligit prædictam glos. tali modo quòd legatus vel episcopus non potest inhabilitare ita vt operetur alibi:ex quo videtur quòd illa inhabilitas non nocebit clerico extra prouinciã legati vel diœcesim episcopi: quod subintelligit idẽ Feli.vbi inhabilitas fuit posita in materia arbitraria vltra ius,secus si iuris authoritate, quod non habet in se dubium:quia tunc non est legatus vel episcopus qui inhabilitat,sed declarat illum incurrisse inhabilitatem iuris, & tunc sicut ius ligat vbique, ita declaratio nocebit vbique.

Bon

Bonorum publicatione puniri.

CAPVT CXXIIII.

PRAEMISSO prius quòd bonorum publicatio est duplex, vt placet Oldra. in consi. xvij. incip. Thema tale est, quidā clericus, sub titu. de fo. compe. in col. iij. nam quędam est extraordinaria, id est in casu nō expresso in iure, sed ex iudicis potestate: & ista cōceditur illustribus in summa potestate positis, & de hac loquitur lex C. ne sine iussu princi. liceat consis. l. j. Alia est ordinaria, id est in casu à lege permisso, vel ex regni consuetudine generaliter: & ista fit per quemcunque iudicem habentem merum imperium ratione territorij, & nō per alium: quia confiscatio fit ratione iurisdictionis, & iurisdictio territorio adhæret. vt C. Vbi & apud quem. l. fi. Pœna publicationis bonorum rarissimè legitur statuta in sacris canonibus contra clericos: quia forsan conditores canonum cupientes magis emendare clericorū personas, quàm in eorū bona sæuire, habebāt præ oculis verba illa Iustiniani quæ ad Tribonianum scripsit in Auct. de mandatis principū, dicens: Oportet autę te in hoc omnē ponere prouidentiā cū aliquis dignus apparuerit pœna, illum quidē punire, at res eius nō cōtingere, sed sinere eas generi & legi, secundùm illū ordinē. Nō enim res sunt quæ delinquunt, sed qui res possident. Posset præterea alia ratio ad hoc assignari: quia cùm considerarent antiqui illi patres bona clericorum intuitu ecclesiæ acquisitorum ad easdem ecclesias pertinere, adeò quòd de illis testari non licebat clericis, superfluum existimabāt

bona

bona clericorum propter scelera proscribere, cum essent applicanda ecclesiis ad quas iam prædicta ratione pertinebant. Nunc autem postquam inualuit consuetudo testandi, creuítque clericorum insolentia simul cum diuitiis & copia bonorum, adeò vt non satis videatur solis canonicis pœnis corrigere eos, meritò possit in dubium referri, an Iudices ecclesiastici imitando leges ciuiles possint clericos punire pœna amissionis bonorum pro delicto, pro quo laicus esset puniẽdus eadẽ. Et in hoc Anto. in c. Quia diuersitatem. de cõcess. præbend. ex glos. notat quòd vbicunq; ex aliquo delicto laici veniũt confiscanda bona ipsius, videtur quòd ex delicto clerici tunc fiet confiscatio cameræ diœcesani, non autem ad cameram fiscalem laicorũ, quẽ refert Imo. ibi, in col. iiij. dicens quòd in hoc videtur cõsiderãdũ an ius ciuile astringat clericũ, vel eius dispositio generalis extendatur ad eum, de quo dicit recurrendum ad ea quæ consueuerunt dici in c. Ecclesia sanctæ Mariæ. de cõst. & in c. quod clericis. de fo. cõpe. quẽ Feli. refert in c. Irrefragabili. §. Cęterùm. de offi. ordin. Quod si solũ considerandũ est, videretur dicẽdũ aliquibus quòd cũ leges priuãtes aliquos hæreditate sibi delata cõprehendãt clericos in aliquibus casibus: vt suprà probauimus in verbo, Instituti hæredes. Sic etiam leges priuãtes delinquẽtes suis bonis cõprehẽdãt eosdẽ: cùm nõ videatur ratio diuersa in vtroq; casu. Sed in hac quæstione ego aliter dicẽdũ crederem, imò quòd leges inferentes pœnam publicationis bonorum clericos non comprehendant: quia non sequitur, lex quæ priuat accommodantem tacitam fidem, vel non adimplentẽ voluntatem

defun

defuncti, vel nó petentem tutorẽ pupillo hæreredi-
tate vel ſucceſsione comprehẽdit clericos: ergo eo-
dem modo ligabit lex inducens publicationem bo-
norum. Nam in primo caſu leges illæ ſicuti clericis
detulerunt hæreditatẽ aliorũ, ita potuerũt impone-
re eis cõditiones & ſolennitates ad quas tenerentur,
& quibus per eos non ſeruatis hæreditatibus à legi-
bus ſibi delatis priuarẽtur. In noſtro verò caſu cùm
leges diſponãt, puniendo, & earũ cenſura non com-
prehendat niſi ſibi ſubditos, meritò videtur quòd
clericorum bona non ſint comprehenſa, ſicuti ſunt
exemptæ dominorum perſonæ. Et quàmuis articu-
lus iſte egere videatur declaratione Põtificia, poſſet
tamen dici (ſaluo meliori iudicio) quòd liceret iu-
dicibus eccleſiaſticis ad imitationẽ legũ punire cleri
cos publicatione bonorũ in caſibus in quibus laici
puniẽdi eſſent: quia ſicut leges nõ dedignãtur ſacros
canones imitari, ita & ſacrorũ ſtatuta canonũ prin-
cipũ cõſtitutionibus adiuuantur, vt ſunt verba tex.
in c. j. de no. ope. nunc. Vbi etiam gl. dicit quòd legi-
bus vtendũ eſt in cauſis eccleſiaſticis, niſi canonibus
cõtradicant: & licet nõ inueniamus in iure deciſum
quòd clerici puniantur pœna amiſsionis bonorũ in
eiſdẽ caſibus in quibus & laici, ſufficere poſſet quòd
canones hoc nõ reprobãt neq; fieri prohibẽt: & ſi-
cut quotidie in curiis eccleſiaſticis bona eccleſiarũ
& patrimonialia clericorũ quãtũcunq; ſint virtuti-
bus præditi ſubſunt cenſuris legum, & virtute earũ
in defectum canonum auferuntur ab vno, & adiu-
dicãtur alteri etiam laico: quid mirum erit ſi ſic bo-
na clericorum flagitia committentium, imitatione
legũ ſeruata ab ipſis auferantur, & eccleſiis ſeu aliis
piis

piis operibus applicẽtur. Quãdo verò alicui iudici longiori examinatione præmissa, & vrgentioribus fundamentis persuaso, visum fuerit in aliquo casu hanc esse sequẽdam opinionem, si clericus dãnatus filios legitimos habuerit, vt in eorũ præiudiciũ eã nõ seruet cõsulo, vt quid enim ecclesia ditãda est, vel alij vsus pij quærendi sunt, esurientibus filiis etiã parentis iniqui, quando nõ dispositione canonica, sed imitatione legali, paterna bona publicãda videtur? Posset etiã secũdò quæri in hoc proposito, an in casibus in quibus bona clericorũ confiscanda sunt, veniãt omnia pariformiter, & sine aliqua distinctione publicãda? In quo videtur dicẽdũ quòd bona clericorũ siue sint mobilia vel immobilia publicari possunt, quia in hoc nullũ solet adhiberi discrimen, vt per Hieronymum Pauli, in libro prouinciali omniũ ecclesiarum, fol. xliiij. vers. quid si presbyter. Si verò clericus damnatus haberet vsumfructum alicuius rei, tunc ius talis vsusfructus non confiscatur etiam naturaliter viuente vsufructuario, ex sententia Bal. Et Salic. in l. j. C. de bo. libert. quos refert Alex. in j. vol. cons. xxiij. inci. prima cõsideratione. Bona præterea & iura quæ nõ transeunt in extraneum hæredẽ non poterunt publicari confiscatis bonis clerici dãnati: quia fiscus habetur loco extranei successoris, vt probatur in l. Iura libertorum, & ibi notat Bar. ff. de iure patro. & notat etiam Bal, in d. l. j. & Alex. in l. In insulam. ff. sol, matrim. in princip. & in l, Si finita. §. Si de vectigalibus. in col. xj. ff. de damno infecto. ex quo venit quòd si clericus dãnatus haberet emphyteosim ecclesiasticam, vel feudũ ecclesiæ, tunc illa non venirent in confiscationem, per ea quæ notant Bald.

Bald. in d.l.j.& Alex. in d.consi.per tex. in Auth.de aliena.& emphy.§.Illo.& in c.Felicis.§.Si qua verò. de pœ.in vj.& per alia relata per Alex.ibi,quem etiã vide asserentem quòd concluditur cõmuniter quòd emphyteosis concessa à priuato ea conditione & lege quòd non transeat ad hæredem extraneum non confiscatur,dato quòd sint confiscata bona emphyteotę.quod dicit teneri communiter per Bar.& Docto.in d.§.Si de vectigalibus,& alios quos ipse refert, & notat etiam Ioan.de Imo. in c.ij.de feu.in v.colũ. vers.Sed aduerte.Si verò clericus haberet emphyteosim à priuato quæ posset ad extraneos hæredes trãsire,tunc bene veniret in confiscationẽ bonorum clerici,& sine præiudicio domini:quia erit sibi obnoxia quò ad hoc quòd ei debeatur sua pensio. ita notat Cardi. qui sic videri meo est intelligendus in Clemẽ.Nolẽtes.de hære.in vers.Inquisitoribus.in pen. col. quem primò vide in hac materia volentem col. præcedenti quòd quando non posset emphyteosis confiscari, tunc ius meliorationũ posset confiscari. pro quo refert Specu.& Ioan. And.quod est vtile ad declarationem supradictæ conclusionis de emphyteosi ecclesiastica, & priuati in casu in quo non potest confiscari. An autem si clericus haberet feudum non ecclesiasticũ veniet in confiscationẽ, vide Alex. in d.consi.xxiij.in ij.col.versi.Idẽ videmus.vbi concludit q̃ feudum quod non trãsit ad hæredes extraneos non cõfiscatur.& vide etiã Paul.de cast. in l.In insulam.ff.solu.matri.vbi notat quòd in fiscum non transit feudũ vel emphyteosis quæ post mortem confiscati deuẽtura sunt ad filios vt filios:ex quo sequitur quòd si clericus habet tale feudum quod potest

transire ad suos extraneos hæredes, confiscabitur simul cũ aliis bonis. Pro quo vide quod notat Alex. in d.§.Si de vectigalibus. in xij.col. vers.Item addit, seruato tamẽ indemni domino feudi, cui post confiscationem soluetur pensio, & exhibebũtur alia obsequia quæ per possessorẽ feudi prestari debent. Quod videtur tenere Cardi. in d. vers. Inquisitoribus. vbi æquiparat in hac materia res feudales, & res emphyteoticas, dicens, quòd quando crimen non est tale quod puniatur per leges feudales, quòd nihil speciale inuenit in feudis: & quòd generaliter dici potest quòd res feudales & emphyteoticæ confiscabuntur illi fisco cui confiscantur alia bona damnati, semper tamen sine præiudicio domini: quod etiã notat Bal. in l.Si quis presbyter. C.de epis. & cler. Aduertendũ tamẽ esset in hoc quòd licet feudum, vel emphyteosis ex lege inuestituræ vel contractus posset transire ad extraneos hæredes, si prohibitum esset quòd ad ecclesiam deueniret, tunc seruanda erit lex inuestituræ vel contractus, & non applicabitur ecclesiæ, cui alia bona clerici dãnati applicantur. Si autẽ clericus sic damnatus haberet bona subiecta restitutioni, tũc dicendum est quòd confiscabũtur bona illa cum sua causa, scilicet quòd adueniente cõditione fideicommissi, fiet restitutio per fiscũ. ita decidit Ang. in l. Papinianus. §. Meminisse. ff. de inof. testa. per l. ex facto. ff. ad Trebel. & per alia de quibus ibi: quod etiã probat text. in l. Statius florus. in §. Cornelio felici. ff. de iur. fis. quod tamẽ intelligit Alex. in d. consil. in pen. col. in casu in quo simpliciter sunt bona subiecta restitutioni, secus autẽ dicit quãdo expressè esset prohibita alienatio à testatore: quia tunc etiã pendente

cond

conditione nõ possunt transire in fiscũ: ex quo videtur quod in casu nostro bona quæ clericus dãnatus teneretur restituere simpliciter post mortem, manerent in cõfiscatione eius vita durante, secus si fuit in eis prohibita alienatio à testatore, quia tũc non confiscabuntur. Potest præterea & non impertinẽter dubitari, an publicatis bonis alicuius clerici veniat in confiscatione ius patronatus? & omissis quæ à doctoribus in variis locis & cum variis opinionibus tradũtur in hoc dubio, quando Iudex laicus est qui cõdemnat patronũ, vt per doct. vbi glo. in cle. pastoralis. de re iud. & in c. filiis. vbi etiam glo. quã dicunt præcedenti fore contrariam. xvj. quæst. vij. & in cle. ij. de iure patro. & in c. quanto. de iud. & per Imo. & alios in l. In insulam. ff. solu. matr. & per Floria. in l. Via. §. si fundus. ff. de serui. rusti. prædio. in casu nostro non est aliqua controuersia inter docto. quàmuis nullus eorum quos ipse vidi quæstionem mouerit in specie, videlicet quãdo clerici patroni publicantur bona: sed ex his quæ docto. aliqui tradunt facilè quæstio deciditur. Primò ex his quæ notat Firmianus in tractatu de episcopo, in iiij. libro, in iiij. parte, in iij. quæst. in fin. primæ colum. vers. Sed quæro vtrum. vbi tenet ius patronatus non transire in confiscationem iudicis secularis, sed iudicis ecclesiastici sic. Secundò ex conclusione quam facit Cæsar Lambertinus in elegantissimo suo tract. de iure patronatus, in tertio libro, articulo viij. octauæ quæstionis principalis, in col. vj. vbi tenet quòd si Iudex ecclesiasticus procederet propter aliquod delictum casu quo posset ad publicationem bonorum alicuius patroni, sine dubio includeretur ius patronatus, vt in

clemen. Paſtoralis à contrario. §. Rurſus. de re iudic, quia non dicerentur mittere falcem in meſſem alienam: & quòd tunc non erit cõſiderandum an veniat principaliter vel acceſſoriè, vel an exprimatur in tali publicatione vel non ius patronatus: cùm ſimus in caſu in quo Iudex habet iuriſdictionem cognoſcendi de ipſo iure patronatus etiã principaliter, in quo dicit concordare omnes doctores. Si igitur nullus doctorum dubitat quòd in publicatione bonorum contra laicũ patronum facta per Iudicem eccleſiaſticum venit ius patronatus, non diſtinguendo an ſit facta publicatio ſimpliciter omnium bonorũ, an alicuius caſtri, in cuius vniuerſitatẽ tranſeat, meritò ergo firmare audebimus quòd publicatis bonis clerici comprehendetur ius patronatus. Nec in hoc curandum exiſtimo an ille habeat filios legitimos, vel non, ex concluſione Cæſaris Lambertini in fina. verbis dicti octaui articuli, dum tenet quòd in caſu confiſcationis bonorum patroni ius patronatus nullo modo tranſit ad filios, ſed vel ad eccleſiam vel ad fiſcũ, ſicut poteſt tranſire ad extraneos. Ex quibus vltimis ſuis verbis, & ex his quæ ſuprà etiam diximus venit hæc mea ſententia moderanda, niſi ex conſtitutione iuriſpatronatus autoritate illius ad quem ſpectat diſpoſitum eſſet quòd ius illud patronatus non poſſet tranſire niſi ad agnatos, vel ad aliquos homines habentes certas qualitates vel conditiones: quia tunc non comprehenderetur ius patronatus in publicatione bonorum clerici, ſed ſeruaretur diſpoſitio conceſſionis vel inſtitutionis illius. Sed hac ſic quæſtione ſine aliqua difficultate deciſa, reſtat nunc aliud dubium eneruandum: cùm enim ex infrà dicendis

appa

appareat quòd bona clerici publicata applicari debeant ecclesiæ à qua recipiebat stipendia, vel episcopo vt in pios vsus distribuat, meritò dubitari poterit, quid tunc faciẽdum est de iure patronatus quod perdidit clericus. Et in hoc crederem (saluo meliori iudicio) posse dici quòd cùm ecclesia cui applicantur bona ratione beneficij vel stipẽdij non indigeat iure patronatus, neque illud possit facere eam ditiorem, quòd iustius erit quòd episcopus decernat ecclesiam esse liberam in qua erat constitutum ius patronatus, & quòd idem faciat & fortiori ratione quando bona debent distribui in pios vsus: cùm non debeat vendi ius patronatus vt precium distribuatur in eis, nec deceat, nec liceat quòd ipse sibi retineat, nisi in casu quo tale ius patronatus clerici esset annexum alicui castro, vel rei vniuersali: quia tunc iustum est vt sequatur castri vel rei possessorẽ. Quæri etiam potest, an publicatis bonis clerici filiifamilias veniat peculium castrense, aut aduentitium vel profectitium publicãdum? Et in hoc dubio si sequamur iura ciuilia & doctrinam doctorum loquentiũ generaliter, dicendum est quantum ad peculium castrense quòd non. casus est in l. Si filius. C. de bonis damna. & notat glos. quam ibi sequitur Barto. in l. j. ff. de bonis dam. & idem tenet Bart. in l. Si finita. §. Si de vectigalibus. versic. Sextò quæro. penul. colum. ff. de damno infec. Idem videtur velle Bald. in l. filius. ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris. per d. l. Si filius. C. de bonis damnatorum. Vbi etiam dicit quòd aliqui dixerunt quòd illa lex erat correcta, sed non rectè considerauerunt. & vide eundem Bald. in d. l. Si filius. vbi dicit quòd hoc est in solatium filij amissi,

vt damnato filio pater retineat peculium castrense, & quasi castrense, qui præterea intelligit l.illam in filio in potestate. & quòd secus esset in emancipato, cùm non habeat peculium, vt l.fina.in fine. C.de inofficí. testamen. & hanc etiam opinionem videlicet quòd peculium castrense non publicatur:sequuntur Imol.& Paulus de Castro in dicto §. Si de vectigalibus, prout refert ibi Alexand. in colum. xxj.& xxij.vbi defendit hanc opinionem ab Angel.tenente contrarium. Quantum verò ad aduentitiũ idem concludit Barto. in dicto §.Si de vectigalibus, allegato versicu.Sextò quæro.& sequen. videlicet quòd etiam proprietas aduentitiorum bonorum quæ est filij non publicatur ea ratione:quia filio est interdicta omnis alienatio sine patris consensu,vt C.de bo. quæ liber.l.Cum non solùm.{§.filiis autẽ.}ergo delinquendo non alienabit,mouetur etiam per text.in l.iij.§.Sed vtrum.ff.de mino.Idem tenet Bal.in l.ij.§. Si filius. ff. quod quisque iuris. & in l. Executorem. in princip.in vltima charta.C.de executio.rei iudic. & in d.§.Sed vtrum. & Angel. & Imol. in l.Si filius. ff.de dam.infect.quos refert Alexan.in dicto §. Si de vectigalibus.xix.colum.versi. Adde primò. Præterea quantum ad peculium profectitium idem dicendum est, videlicet quòd non veniat in publicatione bonorum filij,etiã si habuisset filius à patre expressè potestatem donandi & dissipandi, quia non ex potestate donandi:quia hæc non est donatio, nec ex potestate dissipandi:quia non intelligitur cogitatum de delicto.ita concludit Alex.vbi supra in xxiij.col.versicu. Item adde.& dicit ita decidere eleganter Ange. in l. Si filius. ff.de dam. infect. & cum eo transire ibi

simpl

ſimpliciter Imol.& idem videtur colligere Barto.ex glo.in d.l.j.ff.de bon.damna.notando verba glo. ibi dum dicit, etiam caſtrenſe. ex quibus verbis innuit glo.quòd nec aduentitium, nec profectitium. Cùm ergo in iure canonico & ciuili non ſit aliter in hac materia diſpoſitum circa hæc peculia in clericis,meritò videtur concludendum quòd publicatis bonis clerici filiifamilias nullum prædictorum peculiorũ publicabitur:cùm ſacri ordines etiam presbyteratus non liberent filium à poteſtate patris, vt eſt text. & ibi Abb.in c.Conſtitutus. de in integ.reſti.& in c.Si annum.de ludic.in vj.& in authent.Presbyteros. C. de epiſco.& cleri.& per Docto.reprobata glo. ibi in cap. Cum voluntate.de ſentent. excommuni. Nec in hoc aliquid immutat concluſio Doctorum quæ habet, quòd in bonis aduentitiis clericorum, etiam primæ tonſuræ acquiſitorum, eis poſt clericatum, non quæritur patri vſusfructus, quia reputantur bona quaſi caſtrenſia:vt probatur in capitulo,Quia nos. de teſtamen. & ibi notant Abb. Hoſtien. & Barba. & ponit latius doctor noſter Hiſpanus Rodericus Suares in quæſtio. Vtrum in bonis maioratus pater habeat vſumfructum, in fol. penulti. colum.iiij.vſque ad finem:quia licet per hoc videatur quòd talia aduentitia clericorum non habeãt naturam aliorum aduentitiorũ laicorũ, ſatis eſt quòd aſsimilentur bonis quaſi caſtrenſibus, quæ etiam vt ſuprà dictũ eſt non publicantur. Vltimò autem pro pleniori examinatione huius c.opereępreciũ eſt quęrere in caſibus in quibus diſpoſitione canonica, aut imitatione legali bona clerici publicari poſsint, cui tandẽ applicari debeant.& in hoc dicendum videtur

quòd ſeruanda ſit diſpoſitio text.in capitu.excommunicamus.el j.de hæret.§.j.in qua cauetur quòd bona clericorum damnatorum de hæreſi applicantur eccleſiis à quibus ſtipendia receperunt. Et ſi clericus recepit ſtipendia à pluribus eccleſiis, tunc inter eas diuidentur bona pro rata, vt per gloſ.ibi, in verbo, Stipendia. Vnde hæc videtur practica ſeruanda in omnibus caſibus in quibus bona clerici habentis beneficium vel plura beneficia publicantur. Erit ergo curæ Iudici qui bona clerici publicari mandauit diuidere ea iuſtè inter eccleſias in quibus beneficia habuit: & ſi aliqua eccleſiarum ſita fuerit extra ſuam diœceſim, & omnia bona clerici fuerint in eius poteſtate, tunc debebit mittere illi portionem ſibi contingẽtem. At ſi in loco beneficij extra diœceſim conſtituti fuerint aliqua bona clerici quæ pertineant ad illam eccleſiam, tunc eius erit officij intimare iudici illius diœceſis ſententiam à ſe latam, vt illam in prædictis bonis exequatur: in caſibus in quibus ſententia lata ſuper confiſcatione bonorum extenditur ad bona ſita extra iuriſdictionem pronunciantis, de quo per Domi.in capitu. Cum ſecundum. ad fin.de hæreti.in vj.& per Ancha. in capitu.Poſtulaſti.viij. quæſtio. de foro compet.& per bonam additionem Feli.in dicto capit.Poſtulaſti. in iij.col. Et quia tex. non diſtinguit an bona damnati clerici recipientis ſtipendium ab eccleſiis fuerint patrimonialia vel ne, acquiſita intuitu eccleſię vel non, videtur velle quòd omnia bona indiſtinctè clerici habentis beneficium applicentur eccleſiæ in qua illud habebat, quod videtur magni effectus: nam poſſet contingere quòd ratione alicuius tenuis beneficij poſſeſsi à clerico

poſſet

posset ecclesia patrimonium pingue clerici, vel alia plura bona eius industria seu arte quæsita sibi acquirere. In casu verò in quo clericus damnatus non haberet beneficium, & sic non esset aliqua ecclesia cui applicanda essent eius bona, tunc credit Abb. in dicto capitu. excommunicamus. in j. col. debere ea applicari episcopo loci qui distribuat in pios vsus: cuius opinioni adhæret ibi Ana. in ij. col. Nec curandum est in hoc de eo quod scripsit Oldra. in consil. suprà allegato, videlicet quòd episcopus non habet confiscationem bonorum, cùm non habeat territorium: nam vt inferius latius scribimus, in verbo pœnísve aliis pecuniariis, verior opinio est & consuetudine roborata quòd episcopus habet fiscum. Episcopum autem loci in hoc casu eum esse credo, qui est episcopus diœcesis in qua fertur sententia publicationis bonorum, dum tamen aliâs sit Iudex competens, in cuius curia de delicto clerici tractari potest. Caueat præterea episcopus cui prædicta bona applicantur, ne ea conuertat in suos vsus: quia præter id quod sacri canones nullibi bona sic confiscata episcopis applicant, doctores qui ea illis applicanda scripserunt, tali tamen onere hoc describunt, vt illa in pios vsus consumant. { De quo scripsit Feli. in capitu. irrefragabili. §. Cæterum. de offic. ordina. } Crederem præterea in hoc iudicandum esse non solùm pium, sed debitum vsum, in quo dicta bona expendi possint & deberent, in alimentis videlicet clerici damnati, dum viueret, ne aliâs fame mori cogeretur, aut esset aliunde mendicandum pro eius sustentatione.

Verberari.

CAPVT CXXV.

POena verberum in clericorum perſonis à ſacris canonibus recepta eſt. Et hoc for ſan quòd cũ dolore & citra vitæ ac mem brorum periculũ corrigat, de eáq; mentio fit in c.{j.v.q.j. & in c.nullus clericus.xj.q.j. & in c.}Cum beatus. xlv. diſt. quod eſt concilium Bracarenſe. {tertiũ in cano.vj.} & in c.fi.xxxv.diſt.quod eſt concilium Agathenſe. & in c.j.fina. verbis, de calumnia. Ex quo ibi notat Abb. in vlt.nota. quòd eccleſia poteſt clericum publicè verberare. Cúmq; ceſſent in illis cæteræ pœnæ mortis, ac membrorũ mutilationis, nimirum ſi hanc tanquam paternam correctionem antiqui illi patres ſacrorum canonũ conditores admiſerint. Vide tamen in hoc diſtinctionẽ quam facit tex. & glo. in d.c.Cum beatus. videlicet quòd presbyteri, Abbates, & leuitæ nullis debẽt verberibus ſubiacere, exceptis grauibus & mortalibus culpis: minores tamen clerici verberãtur pro minoribus culpis. & idem notat Præpo. in d.cap.fi.xxxv. diſtin. In qua tamen imponenda iudices eccleſiaſtici aduertere debent ſemper, quòd in caſu quo clericus venit verberandus, non poteſt nec debet verberari per laicum etiam de mandato ſuo, vt in capitu. Vniuerſitatis. de ſenten.excommun. & per gloſſ. in cap. Si clericos. eod.titu.lib.vj. & ita etiam diſponitur in l.lvj. titul. v. parti. j. vbi dicit lex quòd tam prælatus mandans, quàm laicus obtemperans in hoc excõmunicatus eſt, ſed debet per miniſtrũ eccleſiæ verberari, vt not. Cardi. de Turre cremata poſt Hugo.

in c.

in c.Illi qui.v.q.v.& ſecundum eos conſtitutus in minori ordine poterit etiã presbyterũ verberare. Imò plus voluit Abb. in c.Inter alia. in col.iiij.de immu. eccle.quòd pro honeſtate eccleſiæ clericus debet verberari in eccleſia,& per clericum,& non per laicum, allegando d.c.Vniuerſitatis. ¶ Quãdo verò clericus eſt incorrigibilis, poteſt per laicũ verberari, vt not. glo.in ſumma xlv.diſt. allegando text. in c.vt famæ. de ſenten.excom. Tu tamen lector aduerte an tex.ille probet hanc concluſionem,cum nihil de verberibus diſponat:ſed de captura facienda per laicum, & inter hos duos actus,non paruum videtur eſſe diſcrimen.Nam difficilius capitur clericus niſi per laicos. Captum tamen clericum verberare per aliũ clericũ in minoribus ſaltem,non ſic difficile eſt.præmaximè quia in quauis republica miniſtri deputati ad capturam delinquentium laici ſunt. ideo videndum eſt an ſola autoritas glo.ſufficeret ad veritatem huius concluſionis.quam tamen ſimpliciter ſequutus fuit Bertachi.in tract.de epiſcopo.iij.par.iiij.lib. de poteſtate & autoritate epiſcopi in temporalibus circa perſonas.verſi.quarto quæro an epiſcopus. ¶ Et aduerte quòd iudex eccleſiaſticus habet iuriſdictionẽ fuſtigandi & verberandi, & ſententiam ſuã poteſt ſuper his mandare executioni abſq; ſcrupulo irregularitatis,licet in fuſtigatione vt in plurimũ interueniat alicqualis effuſio ſanguinis:quia illa qualis qualis effuſio non cõſideratur,cùm nõ veniat principaliter ex ſententia,ſed accidat ex poſtfacto:& ſatis eſt q̃ in ſententia clerici nõ infertur pœna, ex qua principaliter & immediatè veniat ſanguis.ita Paul.Grillan. in tract. de relaxatione carceratorũ,in v.q.& licet huic con-

cluſi

clusioni videatur refragari tex.in c.in Archiepiscopatu.de rapto. & gl.ibi.& in c. his à quibus. xxiij.q. vlt.tamẽ crederẽ saluari posse dictũ huius doctoris, quãdo illa sanguinis effusio esset,vt ipse dicit aliqualis:nã text.in d.c.in Archiepiscopatu.non reprobat, si aliquis sanguis ex flagellis prosiliat, sed ꝙ flagella in vindictã sanguinis transire videãtur:vnde prohibet vindictã sanguinis,non verò accidentalem effusionem. Vnde nec existimo necessarium fore vt audiui,facere aliquos iudices quòd flagellãdos induũt lineis vestibus intinctis cæra,vt desuper flagellẽtur, dum enim scrupulis consulunt,correctionem inutilem & parum timendã efficiunt. { Vel verius in hoc dici posset, quòd etiã si iudex prætenderet in pœna verberũ vel fustigationis effusionẽ sanguinis,& verè succederet, & in magna quãtitate, non propter hoc incurreret irregularitatem,cùm hæc non contrahatur nisi sola morte, vel mẽbri mutilatione, vt notat Abb.in c.j.nu.8.qui cleri.vel vouẽ.& Cardi.in cle.si furiosus.per tex.ibi,de homic.col.vlt.q.xxxj.& per tex.in c.in Archiepiscopatu.de rapto.quem pro hac conclusione põderat,& respõdet ad tex.in c.cũ illorũ.de senten.excõ.Et vide Sylue.qui refert Abb.vbi suprà in sua summa,verbo,homicidium.3.§.Tertiò quæritur.}

In exilium mitti.

CAPVT CXXVI.

Ecclesiastici iudices possunt imponere pœnam exilij,vt probatur in c.j.de calũ. & in c.pe.de pœ.& in c.Hi qui.iij.q.iiij. & in c. Cum beatus.xlv.dist. Et notãt doct.in c.Cum nõ ab homi

homine.de iudi.licet ibi Ant. nitatur colligere arg. ex illo tex.quòd ecclesia nõ habet pœnã exilij, cui in hoc aduersatur Barb.ibi,in col.vj.vers.Et dicit hoc. Vbi namq; pœna certa nõ est imposita à iure, & delictum quod venit puniendũ in clerico,videtur quodammodo cohærere alicui loco, prudẽter se habent iudices ecclesiastici,si delinquẽtibus clericis pœnam inferant exilij. Sicut enim occasio delinquendi facilè præcipitat etiã eos qui aliquam virtutis curã habere solent,sic eadẽ occasione sublata facilius est à difficili & asperrima vitiorum semita,ad amœnissimã virtutis viã reuocari. Quod bene cõprobant verba illa singularia sanctissimi Hispaniæ nostræ doctoris clarissimi Isidori,insignísque vrbis Hispaleñ. Præsulis preſulgidi,quę Gratianus intexuit in c.Valet.lxxxj. dist.Valet(inquit ille)interdum conuersis pro salute animæ suæ mutatio loci.Plerũq; enim dum mutatur locus,mutatur mentis affectus.Congruũ est ergo & inde etiã corporaliter euelli,vbi quisq; illecebris deseruiuit.Nam locus vbi quisq; prauè vixerit,in aspectu mentis apponit,quod sæpe ibi cogitauit vel gessit. Aduertat tamen in hac materia episcopus vel eius vicarius,quòd postquàm clericus propter crimẽ est dãnatus ad pœnã exilij legitima causa, & probatione subsistente, non potest ab exilio reuocari, & sic non poterit clericum exilio damnatũ rebannire. ita notat Præpo.arg.tex.ibi in c.In primis.ij.q.j. Ratio est secundũ eum, quia ex quo legitimè est missus in exiliũ,inferior non potest super istis gratiã facere:vt habetur in c.Cum t.de re.iudi. Facit etiam text. in l. Relegati.ff.de pœn.Ex quo ibi not.Bar.quòd misso in exiliũ solus princeps & non alius potest dare licentiam

centiam veniendi,& quòd reuertatur,quẽ vide vlterius etiam dicentẽ quòd quilibet iudex potest dare licentiam exuli reuertendi ex iusta causa:quod est no tandum in nostro proposito, quia per hoc videtur quòd episcopus vel eius vicarius posset idem facere ex causa iusta. Si tamen clericus esset de facto in exilium missus, tunc bene potest per eundem iudicem reuocari secundum Præpo.vbi suprà,arg.tex.& quæ ibi notat Bal. in c. Ab excommunicato. de rescript. Idem Bal.& Ias.in l.Si pacto quo pœnam.C.de pact. de quo ego latius scripsi in meis doctrinis magistralibus,in doctrina incipienti,factum de facto.

Deponi.

CAPVT CXXVII.

DEpositio est perpetua remotio ab altaris ministerio,notat Abb. in c. At si clerici. de iud.col.j. & refert ibi Decius col. iiij. vers. quintò nota. & depositus simpliciter intelligitur depositus perpetuò, licet non exprimatur,vt per glo,not.in c.j.in glo.fi.l,distin.vbi Domi.& tenet Decius vbi suprà.& vide glos,nota.quæ probat istã conclusionem in c. Accedens. l.dist. vbi tamen vide sing. dist.Præpo. in hoc artic. & nota ꝙ regulariter pro nullo crimine potest deponi clericus, nisi de iure aliud exprimatur, notat Domi. in §. de his.l.dist.& in c.j.xxxv.dist. nisi in grauibus, vt ibi per eum:quod refert Decius in d.cap. At si clerici.in prin.in col.pen.de iud. Item pro delicto enormi potest fieri depositio.ita dicit Abb.in c.fi. de cele.miss. allegat tex.in c. Tuæ.de pœnis.qui tex.dicit,magnis sceleribus:quod verbum magnis plura delicta com-

preh

prehendere videtur, quàm verbum enorme. & vide Anto. in c. Cum dilectus. de purg. cano. col. vj. vers. Caue quia illud. qui ex verbis Inno. ibi colligit vnã theoricam, quam dicit tenẽdam pro vera, quòd vbicũq; pro aliquo delicto venit imponenda pœna mortis, tunc de iure canonico in locum ipsius intelligitur subrogata pœna depositionis: quod refert & sequitur Feli. in c. qualiter. el ij. §. Ad corrigendos. iiij. col. de accus. limitando nisi de iure canonico alia pœna tanquam ordinaria imponatur. Aduerte tamẽ in ista materia quòd Decius in cap. At si clerici. in col. xx. de iudi. versicu. De secundo. colligit duas conclusiones ex Abb. ibi. Prima quòd pœna depositionis non imponitur nisi pro graui crimine. Secunda quòd quæ dicantur crimina grauia relinquitur arbitrio iudicis, ex quo postea, in eadem colum. vers. Secunda conclusio, dicit quòd erit in arbitrio iudicis quæ crimina dicantur requirere depositionẽ. Et vide etiam quod notat Abb. in c. Latores. de cleri. excom. minis. de quo suprà memini in parte suspensionis, excommunicationis &c. Item nota quòd ad depositionem presbyteri non semper requiritur dolus, sed supina ignorãtia æquiparatur dolo, quo ad hoc. ita notat Abb. ex rex. ibi, quem dicit valde notabilẽ in c. fi. de celebra. missa. Et aduerte quòd si depositus ab officio celebrat, priuatur participatione corporis & sanguinis domini, & permanet in hac excommunicatione vsq; ad diem vltimum, ita vt viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat: vt habetur in c. Accedens. l. dist. & ibi notat Præpo. & in ista materia depositionis vide Archi. in c. Presbyteri. el ij. v. quæst. vj. vbi tradit nimis generalem & dubiam

doctr

doctrinam videri meo, videlicet quòd si clericus deponitur pro aliquo crimine, potest à iudice seculari adhuc puniri pro eodem: sicut enim accidit quem diuersis legibus teneri pro eodem crimine, sic eodem modo lege & canone. Nam clericus depositus non efficitur de foro iudicis secularis propter solam depositionem, quomodo ergo poterit per ipsum puniri? Præterea non sequitur: potest quis teneri diuersis legibus pro eodem crimine: ergo clericus potest puniri pœna canonica per episcopum, & legali per iudicem secularem, non præmissa degradatione & traditione. { An autem clericus depositus possit restitui per Episcopum, vide Gondi. Villadie. in tract. de legato, par. j. quæst. xiiij. nume. 63. Tomo 2. tracta. diuersorum Docto. fol. 292. Et vide in pontificali. fol. 204. colum. j. }

In arctum monasterium detrudi.

CAPVT CXXVIII.

ANtiquis illis ac venerandis patribus qui futuro vniuersalis ecclesiæ statui nedum claritate, ac sanctimonia vitæ suæ, sed piis sanctionibus consuluerunt, non minus fuit curæ delinquẽtium pœnas decernere, quàm eorum futuræ emendæ prouidere, non satis suo animarum zelo mirabili esse censentes, si facinorosis inflicta pœna (quæ aliis similia perpetrandi metum ingessit) ipsismet admissa deplorandi non præstaret oportunitatem. Ac ideo post depositionis pœnam statutam vt depositi ad agendam pœnitentiam in monasterium aliquod detruderentur, ordinarunt:

vt sic

vt sic eos monachorum integritas ac venustas confunderent, & vitæ austeritas ad amplectendam voluntariè pro suis excessibus pœnitentiam suaderet, ac charitas (quæ dum verior est, in vitiis prolapsos magis subleuat quàm improperat) ad agnitionē culpæ, & spē veniæ cōmoneret. Vnde regulare est quòd episcopus debet assignare clerico, quē deponit, monasteriū, vbi peccata lugeat, & illa vlterius nó committat, vt in c. Sacerdos. lxxxj. dist. Sed hoc vt videmus recessit ab vsu: quod forsan euenit ex eo q̄ iudices ecclesiastici adeò segniter laborāt crimina punire, vt rarissimè videamus eos delinquētibus deposítionis pœnā inferre. Item & ex alio capite, quia omnia monasteria iam sunt ab episcoporum iurisdictione exēpta: & ideo nō sic iudicibus datur facultas assignandi monasteriū. vnde Alex. tertius reputans hanc detrusionē non ita facilem dum illam fieri præcipit in c. Sicut dignum. in §. Clericos. de homi. addit conditionē, si fieri potest, forsan de possibilitate dubitās, non tam propter penuriā monasteriorum, quàm propter voluntatē recipiēdi detrudēdos in eis. Aduerte tamen q̄ Præpos. in c. Si euangelica. lv. dist. notat ex text. ibi, q̄ clericus qui non est sufficienter punitus pro grauitate delicti cū sola depositione potest detrudi in monasteriū: ex quo videtur, q̄ nō indifferēter post depositionē debet succedere inclusio. {quomodo autē alimenta ministrāda sunt iis, qui in monasterio ad pœnitentiā deputātur, vide bonū text. Greg. in c. de lapsis, xvj. q. vj. vbi vide Archid. dicentē q̄ pauperes clerici ponendi sunt in monasteriis à diuitibus, aut alendi ab Episcopo.} & de materia huius cap. vide quod scribitur in sequen.

Ac in perpetuum carcerem damnari.

CAPVT CXXIX.

HVIVS pœnæ fit mentio in c.pen. de hæret.& in c.Nouimus. de verb. sign.& in extrauag. Diuinis exemplis, quæ est sub tit. de pœnis.in extrauagantibus cõmunibus. dicitur autẽ hæc pœna perpetui carceris capitalis secundùm Bald.in l. Reos. in princ. col.j. de accusat.quem refert Felin.in c. Qualiter. el ij.§. Ad corrigendos.in col.iiij.de accusa.Quæ quidem pœna si ab ecclesiasticis iudicibus imponeretur, vbi delictorum qualitas exigit, custodia tali, vt reuera perpetua esset,longè leuius cẽserẽtur punita laicorũ delicta naturali morte, quàm clericorum perpetuo carcere.Nam vt Card.scripsit in c.Cum non ab homine. de iudic. longè minor pœna est statim mori, quàm diu affligi sine salutis spe. Quãdo autem ista pœna vel præcedẽs imponi debeat,Inno.in c. qualiter.el ij.de accusat.in col.pen. vers. & sunt. videtur velle ꝙ hæc pœna carceris æquiparatur pœnæ damnationis in metallũ iuris ciuilis. Vnde secundùm hoc videretur imponẽda in casibus quibus iure ciuili quis punitur pœna tali,& ad hoc refert eundem Inno.Ioan.de Ana.in consil. j.in col.ij. Abb. tamen in c. Fuæ.de pœnis.tradit talem doctrinã,quòd vbi pro delicto imponitur pœna mortis de iure ciuili, tunc depositus detruditur in carcerem perpetuum: quando verò imponitur pœna alia citra mortẽ, tũc detruditur in monasteriũ.Contra quẽ instat Philip. Decius in c.Cum non ab homine.in col.vj.vers.Sed ista doctrina, de iudi.dicendo quòd hoc non est verum,

rum,quia in casu.c. Clerici. de excess. prælat. & in c. Tuæ.de pœnis,fit detrusio:licet de iure ciuili imponatur pœna mortis, & refert Aretin. latè scribẽtem in hoc,in col.ix. qui concludit secundùm eũ, quòd debet quis detrudi in monasterium ad agẽdam pœnitentiam,& si non velit agere,ponitur in perpetuis carceribus, allegat.d.c. Vt famæ. de sent.excom.& c.A nobis.de aposta.Sed contra hoc arguit Deci.de text.in c.Nouimus.de verb.signifi. & in c. penul.de hæret. Vnde videtur sibi quòd in carcerem detrudatur quis, quando insurgit maior suspitio fugæ pro maiori securitate. sed ista distinctio Decij non placet:quia pœna perpetui carceris,tunc non ratione pœnæ,sed securitatis daretur:vnde non consideraretur delicti qualitas, sed fugæ timor. Vnde melior est sententia. Areti.vbi supra,quam ipse Decius non integrè refert:nam concludit ipse Aretin.quòd quàmuis pœna mortis imponatur de iure ciuili, nõ tamen debet imponi de iure canonico pœna perpetui carceris:quod ipse limitat dupliciter, Primò in casibus exceptis, in quibus expressè cauetur de pœna carceris,vt in cap. pen. & fin.de hæreti. Secundò vbi propter immanitatem delicti non esset imponenda laico simpliciter pœna mortis,sed cũ aliqua qualitate atroci,vt puta ignis,traditionis ad bestias,lacerationis membrorum, & huiusmodi: tunc enim videtur sibi imponenda pœna perpetui carceris: quod intelligit verũ, siue illa pœna sit naturalis criminis, siue ludex illam imponat, augendo illã propter aliquam qualitatem animo inhærentem: & sic dicit intelligendum c.Nouimus.suprà alleg.de quo arguit contra illum Dec. Et aduerte quòd Bald. in

l.penult.C.ad l. Aquil. dicit quòd si episcopi imponerent aliquem in ita arcto loco quòd non haberet aërem sufficientem, vel darent sic parum comedere quòd de facili moreretur, quòd essent irregulares. Vnde prouidere deberent ecclesiastici iudices, quãdo alicui carcerem perpetuum assignant, ne ex defectu aëris vel cibi moriatur. Idem notat Abb. in c. A nobis.de aposta.referendo Ioan. And. Et vide Io. de Anan.in ç.j.de collu.detegen. & in c. qualiter & quando.el ij.§.fin.vers. Nunquid autem episcopus. de accusa.& Matth.de Afflictis in j. lib. Constitut. Siciliæ,in fol.cxxix.col.iij.& Maria. in repet.c.Ad audientiam.de homi.in col.xxxj.versi. quinquagesimò octauo quæro,vbi referunt Bald.vbi suprà,& alios idem tenentes. Et vide etiam Cardi. in Clem. j. de pœnit.& remiss.in quæstio.vij. vbi referẽdo Laurent, dicit quòd ponentes aliquem in tali carcere in quo propter eius arctionem incarcerati non viuunt vltra sex vel octo dies reputat homicidas, vel irregulares: quia illa pœna est magis afflictiua, quàm si ponerentur in patibulo. Aliâs autem si damnatus ad perpetuum carcerem moriatur, dicitur naturaliter mori,vt notat Bald. in l.j.C.de his qui ad liber. peruen.non pos.quem refert Ioan.de Ana.in cap.fin.de homic.num.viij.vide Feli. in cap. Qualiter, el ij.de accus. §. Ad corrigendos.col. v, in princ. Et nota ꝙ licet aliâs damnato ad perpetuum carcerem ex forma statuti,vel de iure communi, non possit aliquid relinqui vltra alimenta,dicit Marian.in c. Veniens. de accusa.in col.xxviij.in versic. Vndecimò quæro, quòd de iure canonico videtur posse attẽtari quòd taliter damnato non possent relinqui alimenta, cùm sibi

sibi deputetur panis angustiæ, & aqua doloris. De quo tamen articulo vide latius Corsetũ in repertorio Abb. in verbo carcer. in versi. An valeat. & Feli. in c. Qualiter. el ij. in §. Ad corrigendos. col. iiij. in fin. de accusa. Præterea in hac materia poterit meritò dubitari, an valeat testamentum clerici damnati ad perpetuum carcerem, qui ibi finaliter decessit? Quod examinat Bald. in j. volum. consil. ccccxlviij. quæritur in primis. vbi tandẽ concludit quòd non, & quòd talis nec actiuè, nec passiuè sit testabilis. Et quia principale fundamentum suũ est, quia tali pœna damnatus continetur sub cõdemnatis ad mortẽ: quia licet non sit condẽnatus ad mortem subitaneã, est condemnatus ad breuitatẽ vitæ. Posses tu regnorum Castellæ & Legionis incola nõ immeritò inferre q̃ hodie attento iure eorum secus esset; cùm per l. iiij. in legibus Tauri editis disponatur q̃ damnatus ad mortẽ ciuilem siue naturalem possit testari, nisi damnetur propter crimen inducens cõfiscationem bonorũ. An autem episcopus qui condemnat clericum ad perpetuũ carcerem possit in sententia reseruare sibi potestatem minuendi pœnam suo arbitrio, vide Bald. in auct. Interdicimus. C. de episc. & cleri. referẽtem Guillel. disputasse hoc, & finaliter tenuisse quòd sic. Sed dicit Bald. cõtra naturam pœnæ declarandæ in sententia nõ potest fieri reseruatio: quia esset implicare contraria, sed asserit tandẽ quòd fortè fallit in sententia episcopi: quia mitius debet agi cum eo quàm cum alio, arg. d. auctẽ. Interdicimus secundùm vnum intellectum: cuius verba ferè ad literam refert Felin. in c. Qualiter. el ij. in §. Ad corrigendos. in col. vj. de accusat. & nihil in hoc.

Exigentibus culpis.

CAPVT CXXX.

QVAE sint culpę propter quas quis debeat tradi curiæ ſeculari, ex his quę ſuprà tradidimus facilè quis dignoſcere poteſt. Cauſa autē facilioris inuentionis volo hîc ſaltem ſummariè referre: habes enim hoc examinatum ſuprà in verbo Sortilegi, & in verbo hæretici, & in verbo falſarij, & in verbo conſpiratores, & in verbo, & per aſſaſſinos, & in verbo læſæ maieſtatis. Et an propter delictum grauiſsimum perpetratum à clericis tradi debeant curiæ ſeculari, vltra caſus expreſſos in iure habes plenè ſuprà in verbo parricidæ.

Data incorrigibilitate.

CAPVT CXXXI.

QVM Eccleſia nunquam intenderit priuilegiis ſuis clericos fouere proteruos atque incorrigibiles, ſtatuit Celeſtinus tertius, in c. Cum non ab homine. de iudic. clericum ab eccleſiaſtico iudice depoſitum, ſi adhuc incorrigibilis fuerit, excommunicari debere, deinde contumacia creſcente anathematis mucrone feriri. Tandem ſi in profundum malorū veniens contempſerit, cùm eccleſia non habeat vltrà quid faciat, per ſecularem poteſtatem eſſe comprimendum, ita quòd ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur. Noluit tamen quòd ſola incorrigibilitas ſufficeret vt comprimeretur clericus

depoſit

depositus à seculari iudice : nisi excommunicatio & anathema subsequerentur : & insuper vtriusque contemptus : vt patet ex verbis illius text. Dicitur autem clericus depositus incorrigibilis secundùm Abb. ibi, col. penult. vers. quæro qualiter. post Ant. si reuertitur ad priora delicta, vel in illis perseuerat. & idem est secũdùm eũ (licet aliud voluerit Anto.) si committat alia delicta, etiam si non sint similia, vel si sint minora, ex rationibus de quibus per eum, quem sequitur Decius ibi col. fin. Dicitur etiam incorrigibilis, si cùm detruderetur in monasterium ad pœnitentiam peragendam, ea non peracta capit fugam, & occultat se, vel aliter de facto impedit, vt non possit cum iudex arctare, licet non reperiatur in nouo delicto, quia tunc post excommunicationem, & anathema comprimendus est per iudicem secularem, vt in text. secundùm Abbat. vbi suprà, in col. fin. Sequitur Decius, vbi suprà. Item aduerte quòd Decius ibi ponit alium casum incorrigibilitatis tanquam diuersum ab aliis, quem dicit ex Abbate colligere, videlicet quando clericus ter monitus non desistit, qui iudicio meo sub primo comprehenditur : nam si non desistit, ergo perseuerat in crimine, & tunc sola perseuerantia sine monitione reddit eum incorrigibilem : nisi dicamus, quòd sentiat Decius quando monetur vt desistat à nouis criminibus quibus inuoluitur post depositionem. Quod adhuc etiam non videtur iuuare opinionem suam, quia tunc etiam commissio nouorum criminum etiam minorum redderet eum incorrigibilem sine monitione per supradicta. Addit etiam quartum casum incorrigibi-

litatis Decius allegando Domini. videlicet quando semel correctus verbis non se emendat, qui etiam in proposito nostro videtur impertinens: nã si post depositionẽ non se emendat etiam correctione verbali nõ præmissa dicetur incorrigibilis vt excõmunicari valeat. Sit autẽ in hac materia vera resolutio, q̃ nullus casus datur à doctoribus qui succedat post depositionẽ, qui solus sufficiat vt tradatur curię seculari: nisi præcedat cõtemptus excõmunicationis vel anathematis. Et cùm clericus depositus sit de iurisdictione ecclesiæ, vt per Abb. in c. Ioannes. & in c. ex parte. de cler. coniug. Iudex ecclesiasticus debet declarare eũ incorrigibilem, ipso tamen non citato ne fugiat, vt per Abb. post Card. in d.c. Cum nõ ab homine. & Inno. in c. j. de homic. lib. vj. quos refert Aret. d.c. Cum non ab homine. col. v. & vide Felin. ibi. iiij. col. qui dicit q̃ ex omnibus dictis doctorũ cõmuniter ibi colligitur q̃ potestas quę datur iudici seculari super deposito incorrigibili nõ exercetur, nisi declaretur qualitas incorrigibilitatis ipsam conferẽs. Et nota q̃ clericus incorrigibilis, qui nõ potest puniri ab ecclesia, potest ipso iure cõprimi à iudice seculari absq; alia degradatione. Hæc est cõmunis opinio modernorũ post Ioan. And. & Anto. vt firmat Aret. in d. cap. Cum non ab homine. col. v. vers. Tertia fuit opinio. & vide Domi. in c. Nec licuit. xvij. dist. qui notat ibi glo. pro isto dicto Ioan. And. Clericus autẽ sic propter incorrigibilitatẽ effectus de foro seculari puniri debet nõ ad voluntatem ecclesiæ, sed prout iudici seculari videbitur. Ita notat Abb. in d.c. Cũ nõ ab homine. in vlt. nota. qui illum puniet pœna imposita per leges ciuiles laicis

pro

pro illo delicto à clerico perpetrato, vt probat tex. in c. Ad falsariorũ. de cri. fal. Præterea in ista materia vide notabilia verba Cardi. in quodam consilio, quæ refert Feli. in c. Rodulphus. de rescript. in col. xxxv. quę dicit nõ legisse alibi, dum scripsit quòd in modo confitendi delictũ potest reus talia verba dicere, quòd ex illis appareat reũ esse incorrigibilem: quia ostendit non solũ non pœnitere de delicto commisso, sed dolere quòd delictum nó fuerit ita plenè perpetratum & consummatum sicut ipse attentauit, & intendebat committere, vt patet in facti contigẽtia, super quo Cardin. scripserat consilium, de quo meminit Felin.

Degradari.

CAPVT CXXXII.

DE hac pęna degradationis mẽtio fit in c. qualiter. el ij. de accu. & in c. Tuę. de pœ. In cuius impositione notãdum est quod voluit Ana. in c. j. de cle. pugnan. in duel. quasi in fi. post Anto. quẽ ibi refert, quòd pro nullo crimine quãtumcũq; graui imponitur clerico pœna degradationis, nisi reperiatur iure expressum. Ex quo sunt restringẽda iura in d. c. qualiter. & c. Tuæ. quod est notandũ secundùm eũ. Et aduertendum est etiã quòd sine accusatione nemo degradandus est, licet aliâs sit puniẽdus, vt in c. Dilectus filius. de simo. secũdùm Hosti. in summa, tit. de accus. in §. quis sit effectus accusationis. vers. Ergo sine accusatore. Itẽ etiã est notandũ quòd licet clericus sit cõstitutus in minoribus, nihilominus est capax sentẽtiæ depositionis seu degradationis, not. Ant. in c. At si clerici.

de iud. Quod dicit ibi pulchrũ Barba. in c. Cũ nõ ab homine. ij. col. de iud. & reſpõdet ad tex. in c. Clericus. lo ij. de vi. & hone. cler. Et ad id quod notat ibi Anto. quaſi ſibi contrarius. & adducit in confirmatione huius tex. in c. Si qs epiſcopus xxvij. q. j. & vide Arnal. Albert. in repe. c. quoniã. de hære. in vj. fo. iij. col. ij. verſ. Nota quintò. vbi tenet dictã cõcluſionẽ quòd etiam clericus in minoribus conſtitutus, vel ſimplex tõſuratus degradatur, & neminẽ ex prædictis doctoribus allegat, ſed pontificalẽ librũ modernũ, fol. clxxv. & alia fundamẽta quæ per te vide. Et in iſta materia degradationis videtur colligi doctrina notabilis ex dictis per Abba. in c. At ſi clerici. in princ. in col. iij. de iudi. quòd vbi in aliquo canone dicitur quòd clericus degradetur & detrudatur in monaſterium, intelligitur de degradatione verbali, quia ſi fieret actualis, ſtatim fieret de foro ſeculari, vt in c. ij. de pœ. lib. vj. Quã dicit eſſe elegantẽ determinationẽ Feli. in c. qualiter. el ij. in fin. de accuſatio. ¶ Formam verò actualis degradationis hic non libuit inſerere, quia facile eſt videre eam volentibus in libro Pontificali, fol. ccv. cum duabus ſequentibus. Deſcribitur etiã prout actualiter facta fuit in perſona cuiuſdã presbyteri, propter homicidiũ qualificatum in iij. parte Repetitionis c. Ranutius. de teſta. factæ per Guillel. Benedicti fol. xlj. in proceſſu præuentionali ibidem inſerto. ¶

Seculari curiæ tradi.

CAPVT CXXXIII.

SAcrorũ canonũ cẽſura mirabilis ideo forſan noluit clericos membrorũ mutilatione aut vltimo puniri ſupplicio, quia cùm eos

bonis imbutos moribus eligẽdos præceperit, ſi deliquiſſẽt minori caſtigatione eos emẽdari poſſe, ac cæteros ab illorũ imitatione prohiberi cõfidit. Si tamẽ pietate hac canonica abutẽtes incorrigibiles efficiãtur, ſtatuit tradi eos ſeculari curiæ legali animaduerſione puniendos, vt ſuprà dictum eſt. In caſibus autẽ certis qui ex ſuprà dictis colligi valent, nulla amplius incorrigibilitate ſpectata vt ſtatim eidẽ curiæ traderentur clerici in eis delinquentes ordinauit. Quos ſic ſibi traditos Iudex ſecularis punire poteſt pœna laicis impoſita per leges ciuiles, vt ſuprà notauimus in verbo data. Poſſunt etiã tũc niſi in crimine hæreſis iudices ſeculares petere vt ſibi fiat fides de proceſſu facto contra tales clericos, cũ enim illos punire debeant tanquam ſubditos, iuſtum eſt vt conſtet ſibi illos deliquiſſe, vt notãt Doct. in c. j. de offi. ord. & in c. At ſi clerici. de iud. Vt autẽ ipſam degradationem actualem, & traditionem curiæ ſequatur realis pœnæ executio, ſolent ſeculares iudices ante actũ illum degradationis habere iam notitiã proceſſus, & incõtinenti degradatũ clericũ ſibi traditũ ad pœnam ordinariã damnare, & ſtatim executionem faciendam præcipere: quod ideo introductum eſt vt cum maiori exemplo ab omni populo qui ad actum degradationis acceſſit pœna infligi videatur. Crederem tamen quòd ſi depoſitus ſic traditus appellaret à ſententia iudicis ſecularis eum tanquam laicum condemnantis, & eſſet in caſu in quo ſecundùm ius appellationi eſſet deferendum, quòd iudex deberet deferre, aliâs nec diuinam nec humanam pœnam euaderet: non enim debet eſſe ille deterioris conditionis, quàm quilibet alius laicus pro

ſimili

ſimili delicto dãnatus,& hoc præcipuè quando Iudex eccleſiaſticus fecit traditionẽ denegata etiã appella.cõdẽnato.Bene tamẽ credo ꝙ quãdo iudex ſecularis parat executionẽ faciendã in perſona clerici ſibi tradẽdi,quòd cũ ipſe viderit proceſſum,iã certus {fuerit effectus} quòd poteſt denegare ei appellationem ſicut denegaret in illo caſu cuicunq; laico. Præterea quàmuis in omnibus ſuprà ſcriptis pœnis dici poſsit operari cõſenſum clerici cõdẽnati,ne aliquis eo inuito pro eo appellare poſsit:in hac tamen ſentẽtia traditionis curiæ,cũ ex ea ſolet mors regulariter ſequi,crederẽ quẽlibet etiã extraneũ hoc facere poſſe,iuxta l.Nõ tantũ.ff.de appel.licet quis dicat quòd cũ ſentẽtia traditionis nõ eſt illa quæ morẽ infert,ſed iudicis ſecularis quæ poſtea pronũciatur:nã ſufficit quòd illa eſt quæ cauſam præſtat ſententiæ,quæ ſubſequitur:& cuius cõſenſus & executio dãnationẽ ſequẽtẽ operatur.Pro quo facit quod notat Inno.in c.qualiter.el ij.de accuſ.in penul.col. dũ dicit quòd ſecundùm canones nũquàm imponitur pœna corporalis mortis,ſed quòd eſt quædã quę quaſi ſimilis ei habetur ſcilicet quòd relinquitur ſeculari ludici puniẽdus.Facit etiã in confirmatione huius quod notat Feli.in c.Cũ ſuper.de re iudic.in col.ij.vbi ampliando d.l.non tantum,dicit eã procedere,etiam ſi agatur de morte ciuili,vt de deportatione,motus per ea quæ notat Bar.in l.Stichus.ff.de pecu.leg.Et Bal.in l.fi.C.de neg.geſt. ex quibus duabus doctrinis Inno.& Feli.in.poſſet etiam dici vt eodem modo habeat locum diſpoſitio d.l.Nõ tantum. quãdo clericus damnatur ad pœnam perpetui carceris:quia talis pœna ſatis videtur eſſe ſimilis pœnæ

mort

mortis,& posset meritò iudicari mors ciuilis:quàm-uis ego soleo dubitare de prędicta ampliatione Feli. quia d.l.Nõ tãtũ.multũ considerat quòd ibi ille pro quo permittitur extraneo appellare, ducitur ad supplicium,& tũc etiã si resistat,nec velit admitti appellationẽ perire festinãs,lex illa disponit appellationem admittẽdã. Quãdo autẽ quis solũmodo deportatur, cùm non amittat vitã, vel mẽbrũ, nimirũ si acquiescẽdo sententiæ impediat appellationem extranei in æius fauorem volentis appellare, præcipuè quia doctores quos allegat Feli.in eo quòd suæ opinioni fauere videntur,nihil tractant de materia d.l.Non tãtum. sed de actione negociorum gestorũ,quam tribuũt soluẽti pro aliquo inuito,quia erat in periculo perdẽdi personã,in quo casu loquitur Bal. & sentẽtia Bar.quæ videtur magis vrger,esolùm loquitur in eo qui soluit pro eo qui aliâs erat passurus damnũ in personam libertate vel ciuitate vt posit repetere: licet alter dicat quòd ipse mallet pati illud damnũ, quàm quòd tanta pecunia solueretur:Nõ tamẽ facit mentionẽ quòd eo inuito hoc esset solutũ,& quàmuis ita posset intelligi doctrina Bart.longè diuersum est posse repetere pecuniam solutam pro eo,qui aliâs perditurus erat ciuitatẽ,quàm posse appellare pro eo qui deportatur, si ipse acquieuit sententiæ.

Pœnisve alijs pecuniarijs.

CAPVT CXXXIIII.

PECVNIARIAS pœnas inferre subditis ex c. Dilectus.de offi.ord.videtur licere ecclesiasticis iudicibus. Pro corrigendis autem excessibus & puniendis crimi

criminibus exigere illas prohibet tex.in c.licet.de pęnis.Et quia in hoc iura aliqua inuicem aduersari vidẽtur,Card.post Host.in c.Vt clericorũ.de vi.& honest.cler.sic inter ea pacẽ cõponere nititur,quòd delinquẽtes nõ sunt in pecunia puniẽdi,quãdo hoc fit ad imbursandũ:quia tũc illud præsumitur emanare ex fonte auaritiæ:secus si causa correctionis fiat & ex fonte charitatis procedat: quòd præsumitur iustè fieri dũ Iudex non imbursat,sed pauperibus erogat.Facit etiã quod notat Bal.in auct.bona dãnatorũ.C.de bonis dãna.videlicet quòd episcopi de iure deberẽt cõdẽnare ad pœnã criminalẽ soluẽdã cameræ Romanæ, nõ suæ,licet de cõsuetudine cõtrariũ seruẽt,quod refert & sequitur Ana.in c.excõmunicamus.el j.in prin.fi.col.in fi. de hæret.& idem Bal. in rub. C.de priuil. fisc.dum firmat quòd episcopus non habet fiscum,& quod Angel. notat in auct.vt nulli iudicum. §.quoniam.in fin.colla.ix.dum dicit quòd videtur ibi casus quòd episcopus qui punit aliquem clericum , non potest in sententia dicere quòd pœna sibi detur. faciunt etiam nota.per Barba.in consil. xxj. A Ioue principium. in iij.volu.in fin. vbi post alia dicit quòd nec glos.nec text.nec docto.dicunt quòd episcopus habeat fiscum: licet aliter loquantur Anton. & Abba.in c.quia diuersitatem,de concess.præbend.de quo tamen vide latius per Felin.in c.irrefragabili.§.cæterum.versic. quarta conclusio.de offic.ordin. vbi refert plura ex prædictis.& tandẽ concludit quòd verior opinio videtur quòd episcopus habet fiscũ, & inter alia allegat Frãcisc.de Pauinis dicẽtẽ quòd quicquid sit de iure, hodie de consuetudine generali episcopus habet fiscum.

ſcũ. Et vide doctorẽ noſtrũ Hiſpanũ Ioan. Lupũ in repeti. Rub. de donat. inter vir. & vxo. fol. xxij. col. ij. verſ. Secũdũ dictũ. vbi in hoc articulo cogitat ipſe dicendũ quòd epiſcopus nõ habet fiſcũ propriè, improprè tamẽ ſic. & quòd bona confiſcãda clerici nõ beneficiati applicẽtur epiſcopo, beneficiati verò eccleſiæ in qua habuit beneficium. Quãdo verò per ſtatutũ imponit iudex eccleſiaſticus pœnã pecuniariã, tũc poteſt illã ſibi retinere. ita tenẽt Hoſti. Abb. & Archi. in locis per Feli. relatis in d. §. cæterũ. col. pen. verſ. Secunda concluſio. Si autẽ ipſemet {iudex eccleſiaſticus vellet per ſentẽtiã pœnã pecuniariã ſibi retinere, licet id facere poſsit: honeſtius tamẽ aget ſi in piũ vſum pęnã deputauerit ſecũdũ Feli. ibi, } ver. Tertia concluſio. Quando verò epiſcopus indigeret euidenter, poſſet retinere, etiam in caſu quo per ſententiam imponeretur pœna, vt ibi per eum. { de quo vide nota. per Henricum Botteum, in tracta. de Syno. Epiſcopi. iij. par. decimatertia concluſione. numero cxxiij. Carta cccxxvj. Tomo ij. tracta. diuerſor. doctor. } Vnum inſuper propter clericorum dignitatem exiſtimo debere fieri, quòd licet aliâs damnati propter crimen ad pecuniariam pœnam, ſi non habent in bonis, luere debent in corpore, vt in l. fin. ff. de in ius vocando. vbi Bal. & in l. j. in fin. ff. de pœnis. clerici tamen in ſacris conſtituti, ſi inopes ſint, in defectum pecuniæ non punientur corporaliter, tum propter perſonarum dignitatem tum etiam quia leuia ſunt delicta propter quæ clericis inferant conſtitutiones ſynodales vel conſuetudo pecuniariam tantùm pœnam: fateor tamen quòd tunc licebit iudici in aliam ſuſpenſionis, exilij, vel

aliâs

aliâs pro arbitrio consideratis circunstantiis debitis commutare, aut in aliqua spiritualia opera celebrationis officiorum, aut orationis seu ieiuniorum conuertere.

Corporalibus.

CAPVT CXXXV.

CVM priscis illis venerãdis patribus (quorum loco tempestate hac infelici nati sunt ecclesiæ filij moribus & meritis satis dispares) qui ecclesiæ regimini tantũ insudarunt, summa fuerit cura, vt tales essent in suis moribus clerici, quòd vitæ suæ splendor ad eos honorandos alliceret, elegerunt potius etiã propter leuia delicta eos statim ab ecclesiastico gradu repellere quàm in suo gradu manentes (pœnis corporalibus inflictis) infames ac paruipendendos efficere. Hinc etenim experimur quòd in cunctis antiquis canonibus, ac sacris cõciliis rarissimè corporalis pœna cleri cis imposita est. Vnde prudẽtiã eorũ non zelo vacuã imitantes debent ecclesiastici iudices (sacerdotũ saltem crimina) pœnis corporalibus publicis rarissimè cohibere. laudo tamen (quia plures vilissimi homines, moribúsque pernicioßissimi ad sacerdotium admissi sunt non sine magna dignitatis sacerdotalis deformatione, animarúmque iactura) quòd ecclesiastici iudices tales de criminibus conuictos priuatim alicuius clerici manu, aut propria (parentum more) verberibus affligant. Quid enim frenare valebit plurium clericorum sæpius iterata flagitia, qui carceres contemnentes, ac de pœna mortis se-

curi

curi,nõ nisi vitiis delectantur?cùm eos passim depo nere,aut dehonestare nec liceat,nec expediat:illi insuper qui ab exercitibus, stabulis, scortis ad sacros ordines ascenderũt,ab ipsis incunabulis prauissimis imbuti moribus quo pacto à tã inueterata nequitiæ cõsuetudine auerti possunt? nisi in chamo & freno maxillæ eorũ confringãtur,virgáq; regãtur ferrea? Inter alias autẽ pœnas corporales quę clericis inferri solent,pœna mithrationis annumeratur, qua etiã aliquando vtũtur ecclesiastici iudices: hãc quidem corporalẽ esse dicit Card. cons.xciiij. incip. hæc est quædã inquisitio,quia cõtinet corporis coërtionẽ, asserítq; ad illam incurrendã dolum requiri,sicut in aliis corporalibus pœnis. Et vide Ioan.de Ana.in c. Inquisitionis. col.ij. de accusat. vbi dicit ꝙ isti qui fustigantur, mithrãtur,vel ponũtur ad cathenã, vel quid simile,sunt infames. Venit insuper in vsum (in Italia præcipuè) alia quædam corporalis pœna,qua solẽt puniri clerici, videlicet damnationis ad triremes,cuius pœnæ impositio forsan fundari cœpit ex his quæ notat Inno.in c. Qualiter.el ij. de accusa.in pen.col.vers.& sunt.vbi scripsit ꝙ pœna damnationis in metallum nõ inuenitur sæpe in canonibus posita,sed si imponeretur nõ retractaretur. Cuius forsan doctrinã sequentes iudices ecclesiastici & illam pœnã damnationis in metallũ imitantes imponunt hanc, ea præcipuè ducti ratione, quia certi sunt ꝙ triremiũ duces traditos sibi ad earũ ministeriũ non patiuntur fugere. Potest præterea & hæc pœna fundari in verbis Augustini quæ ad Marcellianũ Comitem scripsit,de quibus in c.j.xxiij.q.v. vbi intercedendo pro quibusdã clericis qui presbyteros in-

terfecerant & alia grauia commiserant, ne eos mortis supplicio puniret, inquit, hoc magis sufficere volumus, vt viui & nulla parte corporis truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis ociũ legũ coërtione dirigantur, vel à malignis operibus alicui vtili operi deputentur. Quum equidẽ in clericis, non sacerdotibus practicandã admitterẽ, dum excessus grauitas postulasset, postquàm numerũ & temeritatem clericorũ tantùm creuisse cõstat, & detrusionis in monasterio pœna (quæ ad eorũ emendationẽ salubrior esset, ac dignitati ordinis honestior) imponi non potest, propter monasteriorũ exemptiones. In sacerdotibus autẽ nec faciẽdũ approbo: & quod factum fuerit, aliquãdo reprobare compellor. Quis enim meritò non iudicabit indecens sacerdotes Dei (quibus maior dignitas est collata quàm Angelis) quantũcunq; facinorosos, tam perpetuò ac infami punitionis generi tradi? vbi tanta est sceleratorum hominũ copia, tantus squalor, tantus deniq; omniũ ærumnarũ, ac immundiciarũ aceruus, vbi insuper passim damnatos homines, & nudari, & flagella laicorũ manibus pati, quotidianũ est: nisi in casu quo post degradationem sacerdos tradẽdus esset ad vltimum suppliciũ subeundum seculari curiæ. Et tunc etiam tolerabilius crederem sacerdotem quenquam post traditionem curiæ, turpissimo quouis mortis genere (dum tamen momẽtaneo) vitã finire, quàm ipsum longo vitæ interuallo cũ tot facinorosis hominibus, ac infidelibus sæpius tali quotidiana pœna torqueri: quod forsan illius animæ salubrius esset, quia in breui illo vltimo supplicio de cõmissis dolens deuotius, (atq; ob id securius) moreretur.

In

In triremibus autem vitã agendo nõ ſolùm de præteritis non eſt ſperãdus dolor, ſed deteriores mores eos ibidem acquiſituros, & cum illis morituros veriſimilius timeri poteſt.

Canonicis vel ſynodalibus.

CAPVT CXXXVI.

IN corrigendis enim exceſsibus clericorum debent eccleſiaſtici iudices, epiſcopi maximè aduertere, quid ſacrorũ canonũ cenſura diſponat, pœnáſq; iuxta illorum irrogare decreta. Iurant nanq; epiſcopi ſeruare canones, & periuri ſunt, ſi eos ex cõtemptu nõ ſeruant, vt tradit Panor. in c. Cùm non liceat. col. j. de præſcript. & ibi Felin. in c. Ego. de iureiu. Quando autem aliqua iuſta ſubeſt ex his quas docto. ſcribunt, propter quas pœnæ de iure ciuili etiam ordinariæ moderari poſſunt, nõ dubitandũ eſt iudicem eccleſiaſticum poſſe etiã canonicas pœnas moderari, dum tamẽ hoc faciant in ipſa ſentẽtia, propter id quod notanter ſcripſit Innoc. in c. Qualiter. el ij. in col. fin. de accuſa. verſi. Item nota, quòd quando Iudex non exprimit pœnã in ſententia, ſed tantùm condemnat de crimine, puta condemno te de adulterio, tunc non eſt illius iam pœnã moderari: ſed pœna in lege expreſſa infligitur, vt ij. quæſt. iij. §. Notandum. licet antè moderari poſſet, vt in c. Omnis. xlv. diſt. Et per gloſ. in l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his qui not. infam. in verbo oneraſſet. Aduertat etiã in hoc iudex, quòd quãdo ex cauſa receſſerit à pœnis in iure ſtatutis, debet cauſam exprimere propter magiſtralem doctrinã doctorum, quam ſcripſi in meis

doctrinis, nume. xlj. in doctrina incip. causa exprimenda est, in impressione illarum parua Lugdunensi, quæ secunda & plenior fuit, Si verò occurrẽti delicto nulla reperitur à iure pœna descripta, tunc ad statuta synodalia propriæ diœcesis recurrẽdum est. Solẽt nanq; boni præsules aut ius cõmune supplẽdo delictis pluribus specialem pœnã imponere statutis suis synodalibus, aut idem ius adiuuando (quando sic expedit) pœnã à iure impositã aggrauare, quod possunt facere licitè, vt latissimè per Henricum de Bottis in tract. de synodo episcopi, in iij. parte, arti. j. in conclusione xiij. Deficientibus præterea propriæ diœcesis synodalibus statutis, ad statuta prouincialia recurrendũ est. Quando verò & illa deessent, aliarũ diœcesum imitari statuta æquissimũ iudico, potius quàm proprio duci sensu vel arbitrio, nisi qualitas temporis, locorũ, vel personarũ aliud suadeat. Si enim alicuius doctoris (quàmtũuis remotis partibus scribentis) opinionẽ sequi laudabile iudicatur, quantò magis synodalẽ imitari sententiam, vbi tot sana solent intersse concilia? At verò vbi canonica vel synodalis censura non adest, ad ciuilium legũ imitationẽ descendere cẽseo laudabile: quando tamen legalis dispositio clericorum statui, personis ac rebus proportionabilis est. Illud præterea considerare debent Hispaniæ nostræ ecclesiastici iudices, vt primùm leges regias, quàm ius ciuile imitentur. Quandoquidem in his regnis Romanorum Imperatorũ antiquæ sanctiones rationis solùm, non verò legum sibi vendicant autoritatẽ. Vnde meritò ab ipsis etiam ecclesiæ iudicibus legibus patriis postponendæ sunt, vt fuit sententia doctoris de

de Villadiego in c.Constitutus.de restit.in integrũ. quem refert Ioan.Lupus in repetitio.Rub.de dona. inter vir. & vxor. fol.ij.col.j.in fin. licet contrariũ teneat Petrus de Rauẽna in Alphabeto aureo, in allegationibus,in materia consuetudinum. in col. v. versi.Deficiente verò,motus solum per glos.in cap. Consuetudo.j.distin.quæ quidem hoc non probat: asserit enim glos. illa præferendas leges in defectum canonũ generali vel particulari consuetudini, non verò Imperiales prę ferri legibus regni nõ recognoscentis Imperatorẽ.Nec verò quòd Iudex ecclesiasticus imitetur pœnas legales in defectum canonũ iuri canonico aduersari videtur :cùm liceat Episcopis imponere per statutum suũ easdem pœnas clericis, quas leges vel principũ seu populorum statuta imponunt laicis tale delictũ committẽtibus, dummodo tales pœnæ non sint contra ius canonicũ,vt placuit Anchar.consil.xviij.in quæst. col.j.& fin. Geminia.& Alex.in c.Synodum.§. Neq; vllam.per illum text.xvij.distinct.idem Alex.in c. Dignum. iij. quæst.ix.& in c.Quia iuxta.v.quæstio.vj. Card. de Turrecremata.in d.c. Dignum.per illum text.Feli. in c.Ecclesia sanctæ Mariæ.in col.xlvj.vers.Ex hoc nota.de constit. Henri.vbi suprà.in d. decimatertia conclusione.versic. Amplia septimò.

Consuetudinarijs.

CAP. CXXXVII.

VM iuris appellatione consuetudines etiam legitimas comprehẽdi nemo ambigat,facile erit ecclesiasticis Iudicibus persuadere, quòd in ferendis pœnis de-

linquentibus non modò iura, verùm etiam consuetudines debeant obseruare. Quæ quidem etiã in pœnalibus considerandæ sunt, vbi non est pœna decreta, sed arbitrio iudicis relicta, vt placuit glos. in l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his qui not. infam. Vnde dicit Bald. in l. quicunq;. C. de ser. fugit. quòd id quod est in pœnis consuetũ dicitur necessariũ, & non arbitrariũ. Et vide Felin. in c. De causis. de offi. deleg. j. col. allegantẽ text. in l. Si quis reum. ff. de custod. reor. ad hoc q consuetudo tollit pœnam arbitrariam, vbi per ipsam est limitata pœna, & refert Anto. & Abb. idem tenentes, & allegat glos. in l. Si Barsatorã. C. de fideiuss. Per hoc tamen non est iudicibus indulgendũ, vt neglectis ordinariis pœnis, & à iure statutis, quibusdã prauis cõsuetudinibus, (à negligentibus, & iustitiæ zelo carentibus iudicibus introductis) adhæreãt, quibus quidem quæ grauia sunt delicta leuiter puniri solent, quasi iam sacrorũ Canonum disciplina, contraria quauis consuetudine abrogata sit. Quomodo enim tepiditas aut remissio modernorũ, & sæpius imperitorũ ludicum sanctum illum antiquorũ patrũ zelum (quo plura statuerunt ad frenandos clericorũ excessus, & eorum mores reformandos) abrogabitur? Facilè enim totius Ecclesiæ diuinitus inspiratus ordo confunderetur, si prælatorum aut iudicum ignauia seu negligentia posset Ecclesiæ gladium hebetare. Assurgat potius ecclesiasticorum iudicum animus (si pius est) ad considerandum quid sacri canones iubeant, quídve recti ac boni iudices illos exequendo, seruauerant, quàm quòd ignaui & imperiti iudices faciunt muneribus aut precibus excæcati, seu

tepid

repiditate correpti, in diſpendium eccleſiaſticæ cenſuræ.

Arbitrarijs puniri.

CAPVT CXXXVIII.

CVM generaliter vbi pœna à iure ſtatutâ non eſt, iudex poſsit illam ex arbitrio imponere, hoc præcipuè in pœnis inferendis clericis, locum ſibi vendicare debebit: cùm non tam ſpecificè omnibus clericorum exceſsibus ſtatutæ pœnæ legantur. Vnde tunc dicit Innoc. in c. Qualiter. el ij. in col. fin. verſi. Item nota. de accuſatio. quòd eſt procedẽdum de ſimilibus ad ſimilia; vel quòd imponeretur minor pœna. In arbitrandis tamen huiuſmodi pœnis diſcretus iudex plura debet conſiderare, videlicet delinquentis conditionem, & an ſoleat delicta ſæpius perpetrare, an caſu ceciderit, vilis, an honeſta perſona ſit, doctus an indoctus, ſacerdos, an alterius ordinis, lubens an coactus, laceſsitus, vel non deliquerit. Et an fuerit ſcandalum ortum ex delicto vel ne. Attendere præterea debebit qualitatem loci delicti, grauius ne iudicetur delictum in regno vel loco illo, quàm alibi, in foro, Eccleſia, aut loco deſerto, priuata via ſiue domo. Delicti inſuper diuturnitatem ſeu grauitatem, ac irrogatæ iniuriæ modum & atrocitatem, aut damni dati magnitudinem examinare conueniet, nocte aut die, armis aut ſine eis, præcedentibus inſidiis, aut aperto marte commiſſum fuerit delictum. Per ſolum cleri-cum, aut cum complicibus. Perſonæ inſuper offenſæ qualitates nimium ponderandæ ſunt, cùm ipſæ

sint quæ augere vel minuere soleant quodcunq; facinus: videlicet an vilis fuerit offensus, vel dignitate præditus, æqualis conditionis, an potestate & autoritate superior, laicus an clericus, siue religiosus, senex an iuuenis, amicus aut inimicus, necessarius an extraneus, vir aut fœmina. Nec indecens præterea erit temporis commissi criminis habere rationẽ, sacris videlicet an festis diebus, an aliis, inducciis stantibus, aut nõ scelus fuerit admissum. { Quotiẽs prætereà per ecclesiasticũ iudicem taxandũ venerit damnum illatum alicui ictu vel vulnere per clericũ, vt debita satisfactio fiat, in memoriam iudicis obsecro veniant verba notanda Iurisconsulti in l. fin. ff. de his qui deiece. vel effude. quæ quidem tanquã in proposito satis vtilia transcribere libuit. Cum liberi hominis corpus læsum fuerit, iudex cõputat mercedes medicis præstitas, cæteráq; impendia quæ in curatione facta sunt. Prætereà operarũ quibus caruit, aut caritурus est, ob id quòd inutilis factus est. Cicatricum autẽ aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberũ corpus nullam recipit æstimationẽ: Quãuis hoc quod de cicatricibus lex statuit limitandũ crederẽ, nisi illę in facie vulnerati remaneant: quia tunc de illis cõsiderationem existimo maximã habendam esse. Quis enim dubitat maiorẽ iniuriam intulisse clericũ, læso, si ex vulnere cicatrix magna in facie remaneat, quàm si leuis aut nulla? meritóq; ob id ad pleniorẽ satisfactionẽ vulnerantẽ cõpellendũ. Neq; aliud arbitror sensisse Iurisconsultũ in d. l. cùm ille æstimationẽ cicatricũ aut deformitatis faciendã prohibere videtur, quia si membrũ est saluũ, cicatrices damnum non inferunt. non verò vetat quin

quin ex hoc iniuria posit atrocior iudicari & maior iniungi satisfactio delinquenti: }Quibus omnibus liberrimo animo per iudicē circunspectis, quātū doli seu malitiæ fuerit in crimine facile erit intelligere, & sic condigna pœna punire nocentes debet, vt nec ipsi rei qui iustitiæ seueritatem experiuntur, de eius excessu possint iustè cōqueri, nec alij qui zelo æstuant, ac iustitiam esuriunt, tenuitatem pœnæ reprehēdāt, eiúsq; timore neminē à similibus criminibus arceri audeāt proclamare. Vnū insuper in hac materia inferri posse (& nō temerariè) cēserē, videlicet quòd cùm ciuilis magistratus in casu quo pœna cōmittitur arbitrio suo posset mortis etiā pœnā infligere: vt vult glos. singularis in §. in summa. inst. de iniur. quā dicit singu. Abb. in c. Cum t. de re iud. in j. col. & quā sequitur Bal. in c. j. in §. iniuria. de pa. iura. firmā. & in l. j. C. de his qui latro. occul. & Ioan. de Ana. in c. Inquisitionis. in fi. de accusa. quod pari modo & ecclesiæ censores poterunt præmissis consideratis ad depositionis & carceris perpetui pœnam procedere ex arbitrio.

Aliquo lapsu temporis non obstante.

CAPVT CXXXIX.

AN clericorū delicta præscribātur terminis in legibus præfixis, vt lapsis illis non possint accusari vel puniri? Dicendū est quòd secundū canones tēpore nō tollūtur crimina, vt probatur ex glos. in cap. Admonere. xxxiij. q. ij. in verbo pęnitētia. notat Specul. in tit. de senten. §. quoniā. col. iiij. vers. & notat secūdū cano-

nes. qui declarat hoc procedere in matrimonio & aliis ſpiritualibus in quibus periculum animæ vertitur, & præſcriptio locum habere non poteſt: quod dictum pro ſingula. ponit Roma. ſingula. clxxxij. Tu ſcis. vbi hoc ſimpliciter ſequitur. Idē notat Bal. in l. j. in xvij. col. verſicu. Nota tamen. C. qui accuſa. vbi dicit quòd in pœnis ſpiritualibus nulla cadit præſcriptio. Idē Ang. in l. Diuus. ff. de re iud. & ſecūdùm Abb. poſt Anto. in c. licet. de probatioñi. illud procedit generaliter in foro pœnitentiali. Idem dicit Abb. in c. Cum haberet. col. j. de eo qui duxit in matrimonium. vide tamen diſtinctio. Abb. in c. fina. in princip. de purgatio. canoni. videlicet quòd quo ad indicendam purgationem, vel quo ad proceedendum contra infamatum per inquiſitionem non habetur reſpectus ad tempora præfixa de iure ciuili: accuſatio verò directa quæ inſtituitur ad pœnam infligendam reſtringitur ad terminos iuris ciuilis, cùm contrarium non reperiatur de iure canonico: cuius diſtinctionem videtur ſequi Decius in dicto capitulo, licet. in col. xv. verſicul. poſtremò notandum. dum ſimpliciter ſe remittit ad ſuam diſtinctionem. Aduerte tamen quòd aliter diſtinguit idem Abb. in c. licet. de probatio. in col. x. verſic. Quo ad ſecundum. videlicet quòd in criminibus impedientibus ordinis executionem, vel retentionem beneficij etiam poſt peractam pœnitentiam nō obſtat præſcriptio temporis: quia in accuſationibus talium delictorum deuiamus à regulis iuris. In aliis verò non ſic impedientibus tollitur directa accuſatio tēpore præfixo à iure ciuili, quod ſequitur ibi Felin. col. xix. verſ. Et aduerte, referēdo etiã Anto. & Imo.

Quam

Quam etiam distinctionē refert & sequitur Stepha. Aufre. in additionibus ad decisiones Capellæ Tholosanæ, in quæst. clxxxviij. Incip. Item fuit quæsitū. qui solùm refert Siculum in d. c. licet, eam facientē.

Deficiente verò legitima probatione, ob vulgatam infamiam, graue scandalum, vehementem suspitionem, ex testium dictis obortam purgationem indici.

CAPVT CXL.

IN priscis illis ecclesiæ catholicæ temporibus tanta erat sanctis patribus honestatis cura, vt nedum in clericis aperta crimina non tolerabant, sed neque suspitionem, seu infamiam criminis sustinere volebant. Vnde sicut sacris sanctionibus, delinquentibus (quorum crimina probari poterant) pœnas statuerunt, sic illis, contra quos de crimine infamia, aut graue scandalum, seu vehemens suspitio surgebat, purgationem canonicam indicendam decreuerunt. Cuius quidem diffinitiones varias quia Hostien. scribit in sua summa, de purga. cano. in §. j. ideo illas transcribere nolo. In qua quidem aduertendum est quòd licet verum sit quòd accusatore apparente non debet indici purgatio infamato, vt probat text. & ibi notat Abba. in capitu. ij. de purgatio. cano. quia ista purgatio est subsidiaria, tamen in casu nostro quando fiscalis accusat, qui succedit in loco iudicis vt supra tradidimus, crederem posse indici purgationē infamato ad eius peti

petitionē. Quæ quidem purgatio canonica arbitrio iudicis relicta est, vt in c. Significasti. de adult. & in c. Inquisitionis. §. quæsiuisti. de accusa. facienda tamē cū personis eiusdem ordinis quē purgandus habet, vt in c. ex tuarum. & in c. Inter sollicitudines. de purg. cano. Cōpurgatores autem debent esse fide catholici, vita purgati, & qui cōuersationē purgandi clerici nō tam moderno tēpore quàm trāsacto nouerint, vt in d. c. Inter sollicitudines. Qui tamen compurgatores iurare debent de credulitate, vt in c. De testibus. eo. tit. Qualiter insuper iurare debeant purgandus & compurgatores, vide Hosti. vbi suprà in §. qualiter fieri debeat. per quem etiam vide quotus debet esse numerus compurgatorum, & quales illi in duobus §. sequentibus. Si verò illi qui sunt eiusdem ordinis, fuerint inimici infamati, admittuntur alij, vt in c. Cū in iuuentute. de purg. cano. Imò propter hanc causam potest reus cum laicis & fœminis purgari, vt in glos. fin. illius text. & probat etiam glos. in c. clerici lxxxj. distinct. & in c. In decima. xviij. quæst. ij. Et vide Abb. in c. Inter. de purg. cano. fi. verbis. Vbi etiā dicit quòd si purgādus est pauper seu extraneus, ita quòd non habeat notos in ciuitate, & ideo desunt compurgatores clerici, quòd tunc admittuntur laici & etiam fœminæ: & quòd si etiā laici deficerent ex hac causa, quòd credendū est soli suo iuramēto, & vltra suprà dicta allegat glos. nota. in c. Cū P. de accus. Aduerte tamen ꝙ inquantū dicit quòd paupertas facit admitti laicos & fœminas, quòd hoc nō videtur iure procedere: quid enim nocet clerico paupertas vt sit notus in propria patria, & sic bonæ opinionis penes suos cōclericos, si il

ſi ille ſuis operibus aliud non promereretur? Infamatus verò ille iudicãdus nõ eſt, quẽ dicta paucorũ infamãt, ſi eius opinio apud bonos & graues læſa nõ exiſtit, vt in d. §. quæſiuiſti. vbi Abb. bene diſtinguit quando requirátur maior pars ciuitatis vel viciniæ ad hoc vt aliquis dicatur infamatus, inſpecta qualitate loci & perſonarũ: cuius verba trãſcribere nolo. Infamia autẽ ſi ſit ſimplex abſq; ſcãdalo, & originẽ habuit à maliuolis hoc procurãtibus, tunc purgatio canonica non indicitur, vt in c. Cum in iuuẽtute. §. Nos autẽ. de purg. cano. & ita concludit Areti. in c. At ſi clerici, de iudi. cuius cõcluſionẽ ſequitur Deci. ibi, in vj. col. verſ. Secũda cõcluſio. Si verò infamia ſit orta, à maliuolis hoc non procurantibus, purgatio poteſt indici. ita concludit Aret. vbi ſuprà per text. in c. Presbyter ſi à plebe. ij. quæſt. v. & in d. cap. Inter ſollicitudines. Sed Decius in d. col. vj. dicit quòd moder. tenent contra Aret. & reſpõdet ad dicta duo iura in quibus ſe fundat Aret. Poſtea tamen pro opinione Aret. allegat tex. in c. Accedens. de purg. cano. & reſpondet ad cap. Qualiter & quando. el ij. qui text. allegatur contra Areti. & tandem dicit concludendo quòd hoc eſt in facultate ſuperioris. Aduerte præterea vltra eos, quòd licet ſit orta à maliuolis ſi eſt ſcandaloſa, & poteſt ſedari per purgationem, tunc indicenda eſt purgatio. ita concludit Abba. ſic intelligendo gloſ. ibi, in cap. Qualiter & quando. el ij. de accuſa. in penulti. col. Quando verò quis eſſet ſuſpectus ſoli epiſcopo vel alteri ſuperiori ſuo, & ſuſpicio eſt probabilis, poterit indici purgatio: & idem eſt, ſi eſt ſuſpectus aliis, & ſuſpitio eſt probabilis & tanta, vt inducat ſcandalum, vt per Abb. ibi.

ibi. An autẽ posit quis accusari de eodẽ crimine de quo fuit purgatus, vide Host. vbi suprà. §. An purgatus. singularius per Abb. in c. ex tuarũ. in fi. de purg. cano. vbi facit notabi. distinctio. capiendo veriores opiniones. Item nota in isto proposito quòd vbi aliquis est diffamatus de delicto propter aliquos actus extrinsecos, quòd tali non indicitur purgatio canonica, sed monetur vt ab aliis actibus desistat quãdo pro diffamato est aliqua præsumptio quòd non versatur in delicto propter fœdus naturale: probat istam conclusionem text. in c. quorundam. xxxiiij. dist. quem ibi ad hoc notat Præpo. ad limitationem tex. in c. presbyter. ij. quæst. v. & c. Si malæ famæ. In ista tamen materia infamiæ summè debent aduerte-re Iudices: nam infamia sæpe fallax est, vt inquit Panor. in c. Cum super. in fi. de confes. Cùm iuxta sentẽtiam diui Bernardi in epistola de perfectione vitæ, sæpe fallitur humana suspitio. Accidit nãq; sæpissimè quòd temerarij quidã homines, ac ab omni pietate & religione Christiana alieni, ex leuibus coniecturis seu signis grauia quidem & enomia scelera suspicari, ac asseuerare audent, in magnũ suarũ animarũ, ac alieni honoris & famæ dispendiũ. Est prætera aliud sceleratissimorum hominum genus, quorum (ad virtutis exterminium) Sathan ipse vtitur ministerio, qui virtuti inuident ac insidiantur, quãdo in claris viris illam intuentur, & quasi eius splendore excæcati, dum suis noctuarũ oculis mederi deberent, virtutis lucem potius obnubilant, falsorum criminum puluerem ac nebulam spargendo, dúmque bonorum hominum splendorem obtenebrant, illos suæ veræ ac apertæ nequitiæ quasi iam pares

feciſſe

feciſſe lætantur. Vulgus autem reliquum ignobile, rumorum auditor lubens, ac ſuſcitator & conſeruator ſtrenuus, non modò ſimilia credit, ſed multiplicat: vnde ſæpius quos imitari deberet ac venerari nedum contemnit, ſed perſequitur: ipsíq; inſenſati vitam illorum exiſtimant inſaniam, & finem illorum ſine honore. Hac igitur dæmonum & prauorum hominum intellecta verſutia (quam ſæpius experiri contingit) curare debent ſemper prudentes iudices, vt deprauatæ alicuius (in reliquis maximè rebus probi viri) famæ originem quærant, aç inueſtigent: ne veluti infelix ille præfectus Pilatus, populi clamoribus permoti innocentem virum carceribus affligant, aut pœnis afficiant. Si enim innocentis viri ſanguis à priuato homine quodammodo prouocato effuſus clamare ſolet ad Deum, quid nõ etiam innocẽtis hominis honor (ipſo ſanguine precioſior) contra incautum & temerarium iudicem, qui poteſtate diuina abutens, quos tueri debebat, viros innocuos lædit, omnibus horis proclamabit.

Vnum inſuper non omittendum eſt in propoſito, quòd licet iudex quando ex officio procedit, & crimen non probatur, ſi infamia remanet poſsit indicere purgationem, hoc tamen non tenetur facere ad petitionem promotoris inquiſitionis. ita notat Præpo. in capitu. De accuſatione. ij. quæſt. viij. col. xxxix. verſicu. Sexta differentia. quod ego intelligerem in promotore qui ſe obtulit ſponte, non verò in promotore dato ab ipſo iudice, qualis eſt fundator huius noſtræ denunciationis: & hæc differentia probatur optimè ex his quæ ſuprà dixi in parte promotor ſeu fiſcalis.

In qu

In qua si defecerint vti conuictos puniri.

CAPVT CXLI.

VT autem curæ sit clericis prouidere bona coram Deo & hominibus, & habere bonũ testimoniũ ab his quæ foris sunt, statuerũt canonica iura hac lege indicẽdam purgationem, quòd si quis in illa defecerit, puniatur vt conuictus: vt probatur in c. De hoc. de simon. quod intellige secundùm modum agendi qui præcessit, probat tex. & ibi notat Abb. in iij. nota. in c. Accedẽs. de accus. cuius bonam distinctionem vide ad intellectum huius conclusionis, licet sic deficiens dicatur interpretatiuè non verè & conuictus, vt est glos. notabilis in c. Inter sollicitudines. de purgat. cano. Nota insuper in hoc proposito quòd si infamatus non potest habere compurgatores, quia testes non confidunt de eo, seu quia fides non in aliis de eo, quòd tunc habetur pro conuicto & deficiente in purgatione, notat Abb. referendo Hostien. in d. c. Inter. quasi in fin. de purga. cano. Et adde alium singularem casum, in quo quis habetur pro conuicto, propter non præstitam purgationem, videlicet quando aliquis absens est infamatus de crimine, vel vehementer suspectus, & citatur peremptorio præfixo ad se purgandum: quia si non præstiterit purgationem intra illum terminum, habetur pro conuicto, notat Abba. in c. Cum P. versic. & ex hoc. de purgat. cano. Rationem autem quare deficiens in purgatione puniatur vt conuictus, colligit Abba. ex glos. ibi in c. Insinuatum. de simon. quam etiam

alleg

allegat ad id in d.c. Accedens.de accuſa. in col.ij. videlicet quòd preſumptio probabilis orta ex infamia tranſit in violentam,cùm reus deficit in ſe purgãdo, & violenta ſufficit ad condemnationem,vt in c. Afferte.de præſumptio.& in l.Indicia.de rei vendic.C. Sed ſalua tanti patris pace,hæc ratio non videtur bona:quia violenta præſumptio non ſufficit ad imponendam pœnam ordinariam delicti:nec hoc probãt iura per eum adducta. Vnde crederem quòd ratio vera eſt, quia conditores canonum voluerunt hunc rigorẽ ſeruare,vt clerici non minus ſtuderent in vitanda infamia,& ſuſpitione vehementi, quàm culpa propter ſalutem Chriſtiani populi,qui nimis inficitur ex pernicioſo exemplo à clericis habito, conſiderantes quòd cùm pœna ordinaria canonis contra conuictum legitima probatione non ſit pœna mortis vel mutilationis membri, non erat tanti rigoris clericum deficientem in purgatione haberi pro conuicto,& ęquali pœna puniri. Ex qua ratione pro vera recepta, crederem vnum ſingulare & nõ paruipendendum poſſe inferri, quòd in delictis quibus clericus venit degradandus,& curiæ ſeculari tradendus, ſi Iudex ſecularis videat clericum fuiſſe degradatum, & ſibi traditum propter defectum in purgatione, quòd non poteſt eum punire pœna ordinaria, qua laicus cõuictus de illo delicto puniretur,cùm ſit verum quòd ſibi traditur non verè, ſed interpretatiuè conuictus de delicto, & non liceat iure ciuili vel regio aliquem pœna ordinaria punire, niſi claris probationibus ſeu confeſsione propria conuincatur, niſi in caſu hæreſis, in quo non licet Iudici ſeculari examinare proceſſum inquiſitorũ, vt in c. Vt inqui-

ſitionis. in §.prohibemus. de hæreti.in vj. & ibi per Doct.& in c. j.de offi.ord. reprobata opinione Bar. in l.Diuus.ff.de cuſto.reo. vbi contrarium tenuit:licet legiſtæ communiter teneant ſuam opinionem, vt teſtatur Imo.in c.j.de offi.ordin.& refert Præpo.in c.Statuimus.xj.quæſt.j.quam etiam opinionem Bar. nititur defendere Barba.in d.c.j.in col.xvij.nō pertinaciter,ſed ſubiiciēdo ſe eccleſiæ. Et licet poſsit aliquis dicere quòd etiam hoc procederet in crimine hæreſis,ex ratione,quia licet iudici ſeculari non liceat examinare proceſſum inquiſitorum,quia nō poteſt cognoſcere, an traditus ſuæ curiæ commiſerit vel non crimen hæreſis,non tamen negatur ſibi quin inſpiciat tenorem ſententiæ inquiſitorum:& ſi conſtat ex ea quòd aliquis ſibi traditur non verè conuictus, ſed interpretatiuè, quia deficit in purgatione, temperet mortis pœnam:cùm nulla lex ciuilis nec regia dicat quòd deficiens in ea puniatur pœna mortis,tanquã hæreticus : nec videatur ſequi neceſſariò, relaxatur ab inquiſitoribus,ergo damnandus eſt pœna ignis per ſecularem iudicem : cùm vtriq; iudices tam inquiſitores quàm ſeculares debeant iura ſui fori attendere & illa ſeruare.Sed hoc argumentum facilè ſoluitur ex cōmuni ſtylo inquiſitorum, qui , vt intellexi, talis eſt quòd ex tenore ſententiæ ſuæ colligi non poteſt,quòd aliquis dānatur eo quòd in purgatione defecerit : quia ſententia fertur contra deficientem,ſicut contra conuictũ,& ſolùm remanet in actis proceſſus qualiter in purgatione defecerit,quē cùm videre nō poſsit ſecularis Iudex, meritò excipi debet materia hæreſis ab hac mea noua inueſtigatione,quam in aliis criminibus veram exiſtimo. Hodie tamen

tamen ſicut rarò indicitur ab eccleſiaſticis iudicibus purgatio canonica, ſic rarò accidit quòd iuxta rigorem canonicũ deficiens, vt conuictus damnetur. At quòd iudices temporibus iſtis rariſsimè purgationem indicent, quàmuis partim hoc referri poſsit ad eorum tepiditatẽ (quibus minima cura eſt purgare clericos ab infamiis & ſuſpitionibus vehemẽtibus, & ſatagere vt Chriſti bonus odor ſint) nonnihil tamen prudentis cõſiderationis habere videtur, ſi perpendunt facilitatẽ qua vulgus hodie infamiã ſuſcitat & ſuſtinet: & quàm difficilè hodiernis temporibus compurgatores inueniantur, hac vt exiſtimo ratione: quia ſi nominati ad alios compurgandum peccatores & fragiles ſunt, faciliter credunt infamatos commiſiſſe crimina quorum inculpantur eadem fragilitate qua ipſi ſolent in alia vel ſimilia labi crimina. Si verò probi viri ſunt, cùm videant corruptionem morũ huius tempeſtatis, & clericalis ſtatus deformationẽ (eo quòd ſine delectu ad illam vndecũque ſolent venientes admitti) niſi bene notam habeant vitam purgãdi clerici, compurgatorum onus refugiunt. Vnde ne antiquus ille & pius patrũ zelus omnino pereat, aut ſi his tẽporibus ſeruetur ad vnguem, innocentes lædat, conſulerem omnibus prælatis, ac eorum vicariis, quòd ſynodali conſtitutione, ſiue publicis edictis moneant clericos ſuæ diœceſis, vt non ſolùm puritatis curæ vacarent: ſed inquantum vires ſufficiant, infamiæ aut ſuſpitioni vehementi anſam non præberent, ſcituri pro certo quòd poſt monitionis tempora, in omnibus de nouo emergentibus caſibus iuris ordo, & rigor ſeruari debebit: poſt quam monitionem à iuris

diſpoſitione non debent iudices recedere, dum tamẽ ſemper adſit Epicheia virtus, qua qualitatem perſonæ purgandæ, & ſcandali, aut ſuſpitionis, & defectus in purgatione, & alia conſiderantes, rigorem antiquorum canonum temperent.

Si verò capi non potuerint abſentes, eos pœnis damnari condignis.

CAPVT CXLII.

QVando clericus delinquens eſt abſens, & remiſsio de eo petita per Iudicẽ diœceſis vbi eſt, non fit, vel aliâs latet, tunc videtur quòd poſitis edictis in eccleſia cathedrali, aut ſuæ parochiæ, vel beneficij, cum aſsignatione competentis termini ad comparendum procedi poſsit ad ferendam ſententiam diffinitiuã, ſi conſtat de delicto per eum cõmiſſo. Quod probatur ex his quæ notat Ioan. And. in c. Degradatio. de pœnis. vbi ſcripſit quòd contra clericum abſentem contumaciter poteſt ferri ſententia verbalis depoſitionis, qui allegat c. Veritatis. de do. & contu. & quæ ibi notantur. & iij. queſt. ix. in ſumma. quod ibi refert Domini. in prin. qui dicit bene notandum ex dictis per eundem Ioan. Andr. quòd in cauſa degradationis actualis non poſſet procedi in abſentem, etiam procuratore præſente, per regulam de qua in c. Veniens. de accuſa. quòd vbi pœna non poteſt imponi abſenti, non poteſt procedi per procuratorem. facit etiam ad probandum quòd cõtra abſentem clericum poſſit procedi, quod expreſsè voluit Ioã. Lupus doctor Hiſpanus in tract. de liber. eccle. in ix. quæſt. vbi tradit

dit quòd in quocunque delicto propter quod clericus degradari meruisset si absens citatur, & nō comparet, condemnatur in absentia, si testibus conuincitur, & datur facultas ab ecclesiastico iudice seculari capiendi eum, & secundum suas leges iudicandi, ita quòd sola sententia sine alia actuali degradatione, talis clericus habetur pro realiter degradato ad hoc vt non gaudeat priuilegio clericali, allegat ad hoc tex. in c. Cum non ab homine. de iudic. quem bene inducit, & dicit quòd est necesse quòd intelligamus dictū tex. in casu absentiæ, & hanc degradationem vocat ipse fictam à iure & ab homine. Aduerte tamē quòd huic sententiæ multùm refragatur doctrina Innocē. in cap. qualiter. el ij. de accusa. in col. penult. versicu. Item ad prædictas, vbi postquàm refert aliquas pœnas canonicas, dicit quòd ad prædictas pœnas præterquàm ad depositionem proceditur contra absentem etiam contumacē, sed ad depositionem & alias pœnas quæ sunt vsque ad relegationem non proceditur contra absentem, allegat l. Absentem. ff. de pœnis. & tex. in c. Decernimus. iij. quæst. ix. Potest etiā dari alius singulariſsimus modus conuincendi clericum absentē de crimine lite non contestata, secundum Abb. in c. Cum P. in fin. de purga. cano. videlicet quòd si est infamatus vel vehementer suspectus de crimine, citetur peremptorio præfixo ad se purgandum intra illum terminum, non autem ad comparendum tantùm, & tunc si non præstiterit purgationem intra terminum præfixum habebitur pro conuicto, quod dicit perpetuò menti tenēdum: quia limitat tex. in cap. Veritatis. de do. & contu. & quòd est modus non exquisitus de iure ciuili. Datur præ-

terea alius modus conuincendi abſentem clericum, per eundem Abb. ibi, videlicet quòd contumax excommunicetur, & ſi ſteterit in excommunicatione per annum, tunc habetur pro conuicto ſuper illo crimine, & poteſt puniri, ac ſi verè fuiſſet conuictus, vt in c. Rurſus. & in c. quicunque. xj. quæſt. iij. quæ ſic debent intelligi, vt pleniſsimè tangit in c. j. de iudi. Vnum tamen crederem in iſta materia, iudicem eccleſiaſticum non poſſe imitari legem & ſtylũ huius regni, dum diſponitur, & practicatur quòd ſtãtibus indiciis contra reum abſentem ſufficientibus ad torturam poteſt Iudex eum dãnare de delicto: hoc enim ad clericorum perſonas non liceret extendere, cùm lex regia hoc diſponens eos non comprehendat, nec imitatione digna ſit. Quis enim iuſtum decernat ſolis indiciis probatis damnari quemquam vti reum criminis, etiam ſi executioni non ſit demandãda ſententia? Id namque ſolùm iuſtè pronunciari videtur, quod iuſtè poteſt executioni mandari.

Pro quibus omnibus ac in neceſſarijs eorum veſtrum imploro officium.

CAPVT CXLIII.

SI enim officium Iudicis ampliſsimũ eſt, multáque operari poteſt in omnibus iudiciis, quantò magis vires habebit in his criminalibus cauſis à ſuis officialibus motis, quos in eius locum ſuccedere ſuperius declarauimus? meritò ergo in ſimili denunciatione quicunque promotor ſeu fiſcalis iudicis officium implorare debebit, exuberat enim plurimũ in his cauſis

sis:potest namq; Iudex ex officio suo in qualibet cau sa criminali etiam post aperturam testium, testes de nouo recipere,etiam ad offensam rei:vt notat Barto. in l.j.§.Si publico.in col.v.ff.ad l.Iul.de adulte. versi. Vlterius quæro.quem refert Præpo. in c. de accusatione.ij.quæst.viij. in col.xxxix.versic. quarta differentia.& notat Maria.in c.fraternitatis.de testi.col. xxxv.versicu. Trigesimustertius.ex quo sequi posset notabilis effectus, quòd licet ipse fiscalis in dilationibus sibi datis non probauisset delictum, facta etiã publicatione testium:si Iudex repererit testes contra reum,poterit eos examinare, prius tamen citato reo ad videndũ illos iurare:debebit etiam sibi dari postea attestationum copia,& noua dilatio ad opponendum contra illas. Aduerte tamen ne in hoc decipiaris:quia illa doctrina Bar.declaratur notabiliter per Salice.in l.fina.in fin.col.C.de quæstionib. videlicet quòd tunc possint testes recipi ad offensam post publicationem, quando illa receptio fieret super nouo capitulo, non autem super antiquo:cuius sententiã sequitur Feli.in capitu.Cum clamor.fin.col. de testibus.post Areti.in capitu. fraternitatis. in viij.charta.eod. titu. ex quo videtur multùm restricta dicta conclusio Barto. quod etiam sequitur Hippoly. in l.j.§.Si quis vltro.ff.de quæstio.& dicit esse menti tenendum.Item etiam aduerte quòd ex officio suo Iudex poterit in his causis habere rationem damnorum, & partis læsæ, per ea quæ notat Præpo.in capitulo,libellorum. in secunda colum.ij.quæst. viij. vbi referendo plures doctores in variis locis concludit quòd communiter firmatur per eos ibi, quòd siue iudex procedat per accusationẽ, siue per inquisi-

tionem poterit habere rationem damnorum & intereſſe partis læſæ: laudabiliter ergo & iuſtè facit iudex eccleſiaſticus, cui magis incũbit exonerare conſcientias ſuorum clericorum, ſi conſtito de damno partis per proceſſum, reum clericũ cogat ad ſatisfaciendum, etiam illa nõ petente, præmaximè quia ſæpiſsimè læſi & offenſi à clericis, non audent eos accuſare coram ſuis iudicibus, tum quia deſperant nõ poſſe iuſtitiam ſibi plenè ſatisfaciẽtem cõſequi, propter leuitatem pœnarum quas inferunt eccleſiaſtici iudices, tum propter tardam expeditionem negotiorũ in curiis eccleſiaſticis, & ſumptus qui in illis proſequendis fiunt, maximè in Romana curia, tum etiã ob illatas ſibi minas ab eiſdem clericis facinoroſis, aut ſuis famulis vel amicis. Vnde meritoriè, & magna cum vtilitate Reipublicæ faciunt eccleſiaſtici iudices, qui ex officio deſcendunt ad ſatisfactionem partium læſarum à clericis, etiam illis non inſtantibus. Sed ſicut annotauimus, ea quæ cõtra reos poteſt iudex ex officio facere, iuſtum eſt vt eorum quæ in ſuum fauorem poteſt non obliuiſcamur. Et primò ad eorum defenſam poterit recipere teſtes publicatis atteſtationibus, vt notat etiã Bart. in d. §. Si publico. Quod dicit Hippoly. in d. §. Si quis vltro. poſſe fieri etiam ſuper eiſdem capitulis: & allegat Salice. vbi ſu prà licet ipſe hoc non dicat, ſed ſolùm quòd ad defenſam quocunque tempore ante ſententiam produci poſſunt teſtes, allegando text. in l. Vnius. §. Cognituram. ff. de quæſt. ex quo ibi hoc notat Bar. Secũdò poteſt Iudex minuere pœnam etiã ſi non ſit imploratum eius officiũ, vt notat Bart. in l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his qui not. infa. col. iij. ver. quæro

vtrum

vtrum, per l. Si non defendatur. ff. de pœnis. & per l. j. in fi. ff. de quæst. Tertiò quòd iudex inquirit veritatem pro absente si potest suo officio, vt notat Bar. in l. Seruum. §. Publicæ. ij. col. ff. de procura. latius in l. iiij. §. hoc autem iudicium. in col. iiij. ff. de dam. infec. vbi dicit quòd quando reus est absens in delictis in quibus imponitur pœna vsque ad relegationem (quia tunc potest procedi contra absentem vsque ad diffinitiuam sententiam) potest iudex pro absente probationes inducere. Quartò Iudex ex officio potest repellere accusatorē criminosum, & qui aliâs non est legitimus. Notat Inno. in c. Nulli. de accusa. quod procedit etiam si accusatus velit illum admitti, vt notat Archi. in c. Quærendum. ij. quæst. vij.

Ac expensas protestor & peto.

CAPVT CXLIIII.

QVàmuis episcoporum reditus pro substentandis oneribus ecclesiæ suæ assignati censeantur, inter quæ non minimū reputandum est, vt diœcesim suam malis purgent hominibus, & clericos facinorosos emendent: non tamen iniustum reputo quòd damnatus reus, si bona habeat, expensas soluat promotori seu fiscali, vt vulgus appellat. Cùm etiā in criminalibus victus victori condemnari debeat in expēsis, vt probat tex. secundum vnam lecturam in l. fi. C. de fruct. & lit. expen. voluit glos. in c. finem litibus. de dol. & contu. Bar. in l. j. in prin. ff. ad Turpil. & in l. Si postulauerit. in princ. & in §. fi. ff. de adult. Abb. post alios in d. cap. finem litibus. Canonist. in c. Calumniam. de pœ. & hæc est communior opinio secundum Hip-

polytum in l.patre vel marito.ff.de quæsti.in col.iij. in fi.licet Feli. in c.Accedens. in col.pen. de accusa. quem ipse nō refert propter varietatem opinionum huius articuli se remittat ad alios docto.Hoc tamen adhibito moderamine,vt illæ solùm soluantur,quas verè expendisse constiterit in substituendis procuratoribus loco sui, in euocandis testibus, & ministrandis illis pro itinere sumptibus, ac in solutione tabellionum, & similium rerum, in quibus certum erit eum aliquid consumpsisse. Pro soluendo autem salario quod illi episcopus assignauerit, aut suo aduocato, seu satisfactione notariorum curiæ episcopalis, qui ex more gratis debent ac solent facere omnia quę promotoris concernunt officium:& si bona damnatorum suppetant,posse eos damnari in aliquo (meliori iudicio saluo) non crederem, cùm ad salaria ipsius & aduocati teneatur episcopus, & ad alia gratis facienda sui videantur obnoxij notarij. Quàmuis non iudicarem indecens quòd episcopus ex communi bursa pœnarum cameræ posset prædicta salaria soluere,& ipsis notariis(si laboris magnitudo exegerit) aliquid præstare, dum tamen ex hoc non detur occasio promotori vexandi reos, notariisque longos describendi processus sine vlla necessitate.Hortor autem sub obtestatione extremi iudicij præsules omnes,vt officialibus suis ad insequendos malefactores sumptus necessarios præstent, ne ob eorum defectum in Romana & metropolitanis curiis prosecutio criminalium litium deseratur, ex quo malefactores insolentiores reddantur, soláque ab ipsis appellatione interposita, ac obtenta inhibitione per diœcesim sicuti cęteri probi & innocui homines

mines liberè discurrant videntibus superioribus & contemptis. Quod nempe audacius & liberius faciunt delinquentes, quando perpendunt tantam esse suorum superiorum auaritiam, quòd appellantes ab eis solent negligere, ne quicquam sibi ex hoc sumptus accrescat. Debent præterea aduertere iudices, quòd si promotor calumniosam instituerit accusationem, in expensis damnari debet: vt cauetur in decisione Capellæ Tholosanæ, in quæstio. vj. vbi etiam videnda est bona additio Stephani, quæ dicit, quòd quando accusauit nulla infamia, vel indiciis præcedentibus, dicitur iniustè accusasse, & meritò quidem in expensis damnandus est tunc. Nam qui positus est vt sua diligentia sceleratos clericos insequatur (vt boni manifesti fiant & ab aliis discernantur) non debet insontes & bonos clericos infamare neque vexare.

LAVS DEO.

Finit excellens opus, cuius inscriptio est, Practica Criminalis Canonica eruditissimi viri D. Ioannis Bernardi Diaz à Luco Hispani, Decretorum Doctoris celeberrimi.

INDEX OMNIVM

capitulorum in hoc volumine contentorum alphabetico ordine descriptus.

ABecclesiis ad quas confugerunt extrahi.cap.cxv. pagina 293

Ab ingressu ecclesiæ interdici.cap.cxxj. 108

A collatione ordinum suspenso.cap.xxvj. 62

Adulterij.cap.lxxix. 171

Aliquoties insuper celebrãdo corpus & sanguinẽ Dñi non percipiebãt.cap.xxxviij. 76

Aleatores.cap.lxiiij. 125

Aliquo lapsu temporis non obstante.cap.cxxxix. 329

A manifestis vsurariis oblationes recipientes, eósq; ecclesiasticæ sepulturæ tradentes.cap.lxxxiij. 181

Apostatæ.cap.ciiij. 228

Arbitrariis puniri. capitulo cxxxviij. 327

BEneficia plura possident. cap.xlij. 78

Beneficiis priuari.c.cxxiij.109

Beneficia.cap.x. 37

Bigami.cap.xvj. 44

Blasphemi.cap.ciij. 223

Bona ecclesiæ dilapidantes. cap.lxv. 128

Bonorum publicatione puniri.cap.cxxiiij. 112

CApi.cap.cxiiij. 251

Calũniatores.ca.lix. 108

Clandestinis nuptiis interessentes.cap.lxvij. 135

Carnificum seu macellariorũ, aut tabernariorũ officium publicè & personaliter exercentes.cap.lxiij. 122

Canonicis vel synodalibus.capi.cxxxvj. 323

Coluberius & Serpelio. capitulo vij. 32

Concubinarij.cap.lxxiij. 145

Coram vobis domino N. capitu. 17

Comam nutrientes siue relaxantes.cap.lxx. 141

Commendatúmque sibi infirmum baptizare noluerunt.capi.xlj. 78

Contra ecclesias à quibus beneficia obtinẽt,aduocati vel procuratores extiterunt.capi.lvij. 105

Consulentésque aruspices,incantatores,ariolos,augures, sortilegos, ac eos qui artem magicã profitẽtur.ca.cj. 219

Conspiratores. cap.cix. 240

Confessionibus propriis. capi.cxix. 270

Corporalibus.cap.cxxxv. 320

Conf

Consuetudinariis. c.cxxxvij. 325
Cùm laici essent, sine ordinibus ministrare ac celebrare sunt ausi. cap. xij. 40
Cùm parochiales ecclesias habeant intra annum non fuerunt promoti. c. xlviij. 92
DAta incorrigibilitate. c. cxxxj. 310
Denuntiatio cap. j. 1
Denuntio. cap. vj. 25
Deponi. c. cxxvij. 118
Degradari. c. cxxxij. 313
Deficiẽte verò legitima probatione ob vulgatam infamiam, graue scandalum, vehementem suspitionem ex testium dictis obortam purgationem indici. c. cxl. 331
Duellum aliis sponte offerentes, seu oblatum suscipientes. cap. xciij. 210
EBrij. cap. lxxj. 142
Ecclesiasticos viros vt sua resignent beneficia, ac ne citati ad curiam accedant capientes. c. xcvij. 214
Ego N. presbyter. c. iiij. 22
Eos citari personaliter. cap. cxiij. 250
Eucharistiámque ob ebrietatem ac voracitatẽ euomuerunt. cap. xxxvj. 74
Excommunicato. c. xxiiij. 60
Exigentibus culpis. cap. cxxx. 310
Expensas protestor & peto. c. cxliiij. 345
Excommunicati, c. xiij. 41
Extra tempora, & ante ætatẽ legitimam, & ab alieno episcopo. cap. xxij. 54
FAlsi testimonij rei. capit. lxxxvij. 192
Falsarij. c. cviij. 237
Fornicarij. c. lxxij. 144
Furtiuè. c. xxj. 54
Fures. c. lxxxiiij. 182
GRauia & plura perpetrarunt facinora. c. xj. 38
HAbita informatione summaria. cap. cxij. 247
Hæretico. cap. xxv. 61
Hæretici. cap. cvj. 231
Hęreticis, receptatoribus, defensoribus & fautoribus eorum ecclesiastica adhibẽtes sacramenta, ac eos christianæ sepulturæ tradentes, & eorum eleemosynas ac oblationes recipiẽtes. c. cvij. 236
Homicidæ. c. lxxxviij. 194
Huius diœcesis originarij. c. viij. 33
ILlegitimi. cap. xiiij. 42
Illiterati. cap. xviij. 47
In ea domicilium habentes. cap. ix. 34
In custodia eucharistiæ desides. cap. xl. 77
Incendiarij. cap. xcviij. 215
In nullo beneficiorum residents. cap. xlvij. 91
Instituti hęredes de restituendo hæreditatem incapaci tacitam fidem dederunt. cap. lviij. 106
Incestus. cap. lxxviij. 169
Incarcerari, cap. cxvj. 255

In die

In die fæpius.cap.xxx. 65
In priuatis locis sine episcopi licentia celebrarunt.capitu. xxxiiij. 70
In perpetuum carcerem damnari.cap.cxxix. 306
In exilium mitti.c.cxxvj.300
In arctum monasterium detrudi.cap.cxxviij. 304
In pluribus eorũ intrusi sunt. cap.xliiij. 88
In qua si defecerint vti conuictos puniri.cap.cxlj. 336
Ioculatores,Goliardi seu buffones.c.lxij. 120
Iuramento præmissis interrogari.c.cxviij. 268
LEges & physicam audiẽtes.cap.liiij. 101
Læsæ maiestatis rei.c.cx. 242
Literas ad alios directas aperientes, & aduersariis ostendentes.cap.xcvj. 213
MAtrimoniũ de facto contrahentes.c.lxxiiij. 151
Maledici.c.lx. 111
Missámque pro requie defunctorum promulgatam, pro viuis celebrarunt hominibus,vt illi mortis incurrerẽt periculum.c xxxv. 73
Monialibus.cap.lxxv. 157
Ministri laicorum, ac in rebus eorum procuratores existentes.cap.lij. 97
NAues ad pugnam gubernantes, & conflictum personaliter exercentes, ac alios ad pugnam incitantes.cap.xciiij. 210
Nefandi criminis rei. c.lxxx. 177
Negotiatores ac alienæ rei conductores.c.l. 95
Non ieiuni.c.xxix. 64
Nuptias secundas benedicentes.cap.lxviij. 138
OB negligentiam ipsorũ aliquid sanguinis stilla uit in terra & in altari.capi. xxxvij. 75
Officium insuper diuinum vt tenentur non recitarunt.capitu.xlix. 94
Officiali ac vicario generali. cap.iij. 18
Occasione laicæ recognitionis,nõ requisita episcopi audientia,beneficia ecclesiastica sibi præsumpserunt vendicare.cap.xlvj. 90
PArricidæque.c.xc. 198
Per saltum.c.xx. 52
Periuri.cap.lxxxvj. 190
Peccatores qui sibi confessi sunt signis aut verbis prodentes.cap.cij. 220
Per assassinos alios interfici mandantes.c.xcj. 206
Pœnisve aliis pecuniariis. c. cxxxiiij. 317
Post peractam pœnitentiam solennem.cap.xix. 50
Principum & secularium virorum iustitiarij.c.lvj. 102
Promotor seu fiscalis curiæ vestræ.cap.v. 24
Pro quibus omnibus,ac in necessariis eorum vestrum imploro officium.c.cxliij. 342

Proxenetæ illicitorum contractuum.c. lj. 96
Publicis ſpectaculis.cap.lxvj. 133
QVi epiſcopatui renũtiauerat.c.xxvij. 62
Quorum aliqua patres eorũ nullo mediante poſſederũt. cap.xliij. 86
RAptorum & eccleſiarum violatorum non ſatisfacientium ſepulturis intereſſentes, eorúmque eleemoſynas recipientes, ac de eorum rapina participantes. c.xcix. 216
Rebaptizati.c.xv. 43
SAcrilegi.c.lxxxj. 178
Schiſmatici. c.cv. 230
Séque de ſuis criminibus gloriantes.cap.cxj. 246
Seculari curię tradi.c.cxxxiij. 314
Serui ſine dominorum ſuorũ licentia.c.xvij. 45
Simoniaco.c.xxiij. 54
Simoniaci.c.lxxxv. 187
Sine aqua & igne, vel in pane fermẽtato, & calice ligneo. cap.xxxj. 67
Sine orario ſeu ſtola, & aliis veſtibus ſacris.c.xxxiij. 69
Si verò capi nõ potuerint abſentes, eos pœnis damnari condignis.c.cxlij. 340
Sortilegi.cap.c. 217
Spiritualibus filiabus ſe commiſcentes.c.lxxvj. 159
Stupri.cap.lxxvij. 163
Suſpenſionis,excommunicationis ac interdicti cenſura nodati.c.xxviij. 63
Super altari non conſecrato. cap.xxxij. 68
Suſpendi.c.cxxij. 276
Super rebus aptis ad faciendum ſortilegia, & ad illum effectum vnam vel plures miſſas ſcienter celebrarunt, adhibitis nefariis precibus, & verbis ſuperſtitioſis. cap. xxxix. 76
TAbellionatus officium exercentes.cap.liij. 99
Teſtibus conuictos. cap. cxx. 272
Tortura.cap.cxvij. 259
Truncationes membrorum per ſe facientes, aut faciendas iudicantes.c.xcij. 209
VEnatores.cap.lxj. 115
Venefici.c.lxxxix. 196
Verberari.cap.cxxv. 298
Villarum procurationes ſuſcipientes.cap.lv. 101
Virgata ac partita veſte publicè vtentes.cap.lxix. 139
Violentiæque illatores. cap. xcv. 211
Vſurarij.cap.lxxxij 179
Viuis poſſeſſoribus eorum. cap.xlv. 88

FINIS.